UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

# R.D. Iacobi Marchantii Vitis Florigera

**Marchantius, Jacobus**

**Coloniae Agrippinae, 1661**

Qvadrigæ Marianæ, Sectiones.

urn:nbn:de:hbz:466:1-56381

Visual Library

duodecim millia ad Chriſtum & Virginem adduxiſſe feruntur. Meritò itaque de S. Franciſci Religione dixerimus: O Felix Vitis, de cuius ſurculo tantum germen redundat ſæculo, Cæli vinum propinans populo, vitali poculo?

Hos omnes, tamquam fructum partus ſui, Virgo rigavit rore cæleſti, inebriavit amore ſuavi charitate forti, vino cæleſti: & quotquot in hac Religione fructum ferunt, ſciant ſe id ope Virginis facere, quæ adhuc nunc plantationem Franciſci rigat, & rore cæleſti perfundit, vt floreat, frondeat, & fructificet.

Ecce ergo Aquæductus qui egreditur de Paradiſo, ad rigandas animas noſtras, Chriſti plantationem Roris per eum defluentis hodiè participes ſumus, dum de gratia Indulgentiæ quam impetravit à Filio hodie participamus. Et ſæpius certè nobis ad eam recurrendũ eſt, quia *anima noſtra ſicut terra ſine aqua eſt.* terra arida, ſterilis, deſerta, quæ debet reſpirare ad fontem, accedere ad aquæductum, per quem fons gratiæ, ros vitæ, aqua ſaliens in vitam æternam, ad nos derivantur. In ipſa nunquam deficiens eſt hæc aqua, ſemper attingit fontem vitæ, habet hydriam Samaritanæ, qua poſſit haurire, &, ſi voluerimus, abundanter dabit, rigabit, inebriabit accedentes ad ſe ſincera voluntate & pietate. Ipſa eſt Aquæductus, abundantiſſime irrigans non ſolum cives cæli, ſed & incolas huius mundi, immò & animas purgatorij. Propterea & Indulgentia hæc Portiunculæ, ſive Domus S. Mariæ Angelorum, prodeſt Angelis & beatis ad accidentalem gloriam: prodeſt nobis ad peccatorum veniam & gratiam: prodeſt animabus in purgatorio ad imminuendam & relaxandam pænam debitam Aqua per Mariam, tamquam Aquæductum, derivata, irrigat terram ſitientem, extinguit ignem vrentem, infundit conſolationem, inebriat piam mentem, germinat vitam, parit gratiam, ſecum nos reducit ad Paradiſum vnde exivit, comparat gloriæ æternitatem, per quam tandem inebriabimur ab vbertate domus Dei, & torrente voluptatis potabimur in ſæcula ſæculorum.

*Pſal. 142.*

## QVADRIGA MARIÆ AVGVSTÆ

### TRACTATVS I.

*Piè elucidans Antiphonam Marianæ Laudis, quæ canitur à Pentecoſte vſque ad Domini Adventum.*

### INTRODVCTIO.

LAudes & Encomia Deiparæ Mariæ compendioſè deſcripſimus in ſpeciali Opuſculo, quo interpretati ſimus Hymnũ illũ pietate melliflua refertum, *Ave Maris Stella.* Adiunximus & poſtmodum nonnullarum interpretationẽ Antiphonarum, quas devota & ſonora voce Eccleſia illi diverſis decantat temporibus. Non omittendũ fuit Canticum illud celebre, *Salve Regina,* eiuſdem Deiparæ præconia complectens; quod à doctis examinatum, a ſerpentibus explanatum, ab vtriſque approbatum, cum iubilo Mater vſurpat Eccleſia, & in ore filiorum ſuorum optat eſſe frequentiſſimum. Huius autem primus auctor idẽ eſt qui Hymni *Ave Maris Stella*, Vir ſcilicet ille à doctrina & ſanctitate nominatiſſimus *Hermanus,* cognomento *Contractus,* Virginis favore doctrinã & pietatem miraculoſè adeptus, de quo egimus latiùs in Iutroductione ſeu Exordio Hymni ſupradicti. Proſequimur ergo hic Canticum noſtrũ per ſingulos Verſus, cùm in gratiã Concionatorũ & Paſtorum de Virgine frequentius diſſerentium, tum in gratiam piorum omnium Virginis Deiparæ cultui addictorum, qui lubente aure, & avide corde, excipiunt Matris ſuæ laudes polymitas & variegatas in diverſis Hymnis & Canticis. Tu, ô Virgo Mater, illuſtra intellectum, excita affectum, dirige ſtylum, vt ſingula quæ hic ſcribo, in tui Filij tuamq; gloriam, lucem videant vt poſſim dicere:

*En numine iſthac inchoata ſunt tuo:*
*En lumine iſthac abſoluta ſunt tuo.*

*Salve Regina conſcriptum à S. Hermano Cõtracto.*

Sec. I.

### Salve Regina.

NOnnulli inter Magnates huius ſæculi, ex ingenita ſibi arrogantia, inferiorum & infimorum ſalutationes tumido reſpuunt ſupercilio, eaſq; dedignantur quaſi ſublimitate ſuâ indignas. Non ſic Maria Deipara; quæ licet ſit Regina ſublimiſſima, & nullius rei indiga, gaudet à nobis inopibus & vilibus quotidie ſalutari, gaudetque noſtras ſibi à nobis miſerias exponi: nullum reſpuit, nullum tamquam importunum reijcit, nulli acceſſum denegat ad ſe, & Regiam ſuam Aulam.

*Salutationes noſtras B. M V. libẽter audit.*

Non erat licitũ, indutum ſacco Regis aulam intrare. Et in hiſtorica Ioſaphat refert S. Damaſc. à Palatij limine, & regijs oculis, communes etiam naturæ miſerias arceri iuſſas, vt nullus mendicus, æger, ſenex, claudus, cæcus, alijſque id genus malis obſitus, videri à Rege poſſet. E contra Regina noſtra hos in conſpectum ſuum venire vult, & à quãtumlibet vilibus & ærumnoſis ſalutati peroptat: Non ſolum Angelorum, & ſpirituum cæleſtium, qui tamquam Principes eam circumſtant in magnificentia, ſed & noſtras ſalutationes cum benignitate & gaudio excipit, & remunerat. Hæc ergo Salutatio quotidiana ei ſanè perplacet *Salve Regina;* ſi ſit cum humilitate deprompta.

*Eſther. 4.*

*Nunquã contẽnit.*

Illud verò obſervandum, quòd noſtra Salutatio ad Mariam directe, non ſit optatio proſperitatis ſicut inter homines; quandoquidem in ea omnis felicitatis reperiatur conſummatio, quæ neſcit incrementum: ſed eſt congratulatio, quia ei congaudemus de illa felicitate, ac de tot donis gratiæ & gloriæ: quâ etiam congratulamur ei & nobis quòd

*Qualis ſit noſtra ſalutatio.*

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

quòd talem Reginam, talem Matrem, talem Mediatricem & Protectricem nacti ſumus apud Deum Memores ergò beneficij, piè ad eam recurrimus per gratiarum actionem, per piam & humilem ſalutationem, eique nos ad obſequium offerimus, eam cernui venerantes.

*Salve quid ſignificet.* *Apoc. c. 7.*

Vlteriùs obſervandum, quòd vox illa SALVE, vox ſit triumphalis, Nã *Salus* frequenter in Scriptura ſignificat idem quod Victoria, felicitas, omniumque bonorum copia, *quòd turba illa magna illorum qui amicti ſtolis cum palmis in manibus ſtabãt in cõ pectu Agni, inclamarit voce magna; Salus Deo noſtro, qui ſedet ſuper thronum & Agno.* Quaſi dicerent: Apprecamur, & congratulamur, ac applaudimus toto corde, totâ mente, tota voce, Deo & Agno, ob ſuam victoriam, felicitatem, gloriam à qua omnis quoque noſtra dimanat felicitas & gloria. Cum voci reſpondet in choro triumphali alterno vox Angelorum dicentium *Amen*, & addentium: *Benedictio, & claritas, ſapientia, gratiarum actio, honor, & virtus, & fortitudo Deo noſtro in ſæcula ſæculorum.* Quæ omnia & nos ſuo ordine Mariæ cum Angelis poſſumus occinere cum applauſu, & implicitè in his verbis continentur, *Salve Regina, Mater miſericordiæ, vita, dulcedo, & ſpes noſtra, ſalve.*

*Cantico Salve Regina lectantur Angeli & viri Sancti.*

Certè hac Salutatione, quaſi voce triumphali & congratulatoriâ, cum applauſu ad Mariam directâ, mirè delectari leguntur & Angeli, & SS. Viri.

*Nauar in Man de Orac. c. 9.*

Sic teſtatur Nauar Scriptor eruditiſſimus, omni Sabbatho (quòd is dies ſpecialiter ſit dicatus Deiparæ) auditas olim fuiſſe voces Angelorum *Salve Regina* decantantium in Ronca-valle, prope fontem, qui dictus eſt *Fons Angelorum.*

Similem cantum audiebant ordinariè in Sabbatho Angelica voce depromptum circa imaginẽ B. Virginis de Monte ſerrato nonnulli opiliones, gregẽ circa montem illum paſcentes. Quapropter cantu & lumine cæleſti detecta tandem fuit Imago illa, tot miraculis fulgens, totoque orbe celebris.

S. Bernardo hoc Canticum Virgineum omninò in delicijs fuit, vt patebit infrà; & in Ordine eius frequentatum cum omni devotione ſcimus. Referebat quidam pius Parochus in villa Pelogæ Diœceſis Trevirenſis (teſte Cæſario) ſe illud primùm didiciſſe à Ciſtercienſi Ordine, & quotidiè ad omnes horas ſe ſolitum recitare maximo fructu. Vndè cùm ſemel in agro cingeretur graviſſima tempeſtate, mixta horribili tonitru & fulmine, coactum ſe fuiſſe dicebat cum errore confugere ad quandam vicinam Capellam; vbi cum Dominam pro tempeſtate rogaſſet coram eius Altari

*Eſt cõtra fulmina & tempeſtates.*

proſtratus; mox Matrona virginei cultus ei apparuit, & dixit: *Quia Salve Regina lubenter & ſæpè decantas, numquam fulmina aut tonitrua te lædẽt.* hiſque dictis diſparuit. Intellexit autem ſtatim quia ipſa eſſet clemens illa pia ac dulcis Virgo Maria, Hic etiam dixit Nauar. hanc vocari *Antiphonam Nautarum.* quia mox eam in ore habent, vbi tempeſtas minatur naufragium. Eſt ergo & vox triũphalis contra tempeſtates & fulmina, contra aëreas poteſtates & tonitrua, & contra omnia dæmonia. Immò & contra vocem horrendam iudicij divini, de qua Pſaltes: *Vox tonitrui tui in rota.*

*Vſurpatura Nautis. Caſarius l. 7. c. 30.*

*à Patribus Dominicanis quotidie & quare.*

*B. Porius An. 1200*

Ad hunc effectum eam quotidiè celebriter decantant Patres Dominicani, ſæpiſſimè per hanc Salutationem Virginis favorem experti. Vnde referunt eorum Chronica, quòd cùm novellus hic Ordo variè à dæmone vexaretur, (nam nonnullos eorum dæmon terrebat igneâ forma ſuper capita ardente, alijs flammiferos dracones obijciebat, alios alijs vexabat imaginibus, nec quieſcere ſinebat,) cùm, inquam, hæc paterentur, ſtatuerunt Patres Ordinis Deiparam ſibi invocandam, & cũ publica Proceſſione hac celebri Antiphona ſalutandam. Factum id; & ludificationes ceſſavere. Dumque *Salve Regina* frequentiùs caneretur, viſa eſt è cælo cælorum Regina canentibus adſtitiſſe, & ad illa verba, *O dulcis Virgo Maria*, capite inclinato vnà cum illis de loco recedentibus, in cælum remigraſſe.

Illud verò planè admirabile ex Chronicis Poloniæ, quòd Patres Prædicatores Sandomiriæ in Polonia hoc triumphale Canticum decantantes, per Martyrium triumphum cæleſtem ſunt conſecuti. Etenim ſupervenientes Schytæ ſæviſſimi, dũ Matri miſericordiæ, more religioſo, illi hoc Canticum occinunt, eos inter voces pias trucidârunt. Fuere autem Martyres triginta novem, quorum martyrium miraculoſè in Martyrologio pridiè eſt inventum. Quod memoriâ planè eſt dignum. Nocte enim antecedente, dum Novitius Religioſus Martyrologium pronunciare ad diem ſequentem incipit, aureis litteris novos & inſolitos characteres vidit hunc in modum: *Sandomiriæ paſſio triginta novem Martyrum.* Legeret, an taceret? Abjecto timore, voce cygnea recitavit aureum Edictum. Quod dum cernunt Prior, Fratreſque, aureæ litteræ cum notis, *Sandomiriæ*, inter manus Fratrum legentium ſenſim evanuere. Indè verò collegerunt Deum ſibi parare coronam Martyrij, ad quam ſe præpararunt; & dum Virgini Matri per triumphale Canticum hoc ſe offerrent, eam conſecuti ſunt.

*Balinghẽ Calend. 4. Aug. idem faciũt Carmelitæ.*

Carmelitana quoque Familia, Virgini de ditiſſima, quotidiè hoc Cantico ſub veſperam eam ſalutat, benedicit, honorat, ac illi ſe offert; quia & Mater huius Familiæ reformatæ S. Tereſa, agnovit eam eſſe totius Ordinis Matrem, ſe autem nõ niſi humilem ancillam ſub illa, cui & Sedem in Choro Prioralem, & Claves primi à ſe inſtituti Monaſterij commiſit; quamque vidit toto tempore quo hæc Salutatio decantabatur, apparitione cæleſti inire poſſeſſionem dictæ Sedis, & Clavium ſibi oblatarum, ut infrà dicemus.

Sed hæc ſatis, vt pateat Angelos & Sanctos, cum

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

cùm in cœlis, tum in terris, hac Salutatione Virginali delectari, ac Deiparæ, eiuſq; Filio gratiſſimam eſſe. Nunc ſingula expendamus eius verba.

Salue Regina.

*B. V. Regina vocatur & quare.*

An non meritò Reginæ titulo honoratur Maria, quæ regali exorta progenie refulget, ſuoq; fulgore cœlum, terramque, ac vniuerſum orbem exornat? An non de illa cecinit Rex & Propheta eius Parens? *Aſtitit Regina à dextris tuis in veſtitu deaurato circumdata varietate?* An non illum genuit, qui habet in femore ſuo ſcriptum: *Rex Regum, & Dominus dominantium?* Hæc igitur, ſupra quam nihil niſi Deus eſt, Regina eſt, quæ iure materno, cœlo, terræque præſidet, conſtituta ſuper omnem creaturam cœleſtem & terreſtrem: vt ſicut in nomine Filij eius curuatur omne genu, cœleſtium, terreſtrium, & infernorum; ita & idem fiat in nomine quoque eius, tamquam Matris & Reginæ, quia à dominatione Filij Mater nequit eſſe, ſejuncta.

*Pſal. 44.*

*Apoc. 19.*

*Eccli. 24.*

Ipſi ergò ſicut & Filio convenit. *Gyrum cœli circuiui, & profundum abyſſi penetraui, in fluctibus maris ambulaui, & in omni terra ſteti: & in omni populo, & in omni gente primatum tenui.* Quibus omnibus eius ſublime imperium indicatur. Dum enim dicit, *Gyrum cœli circuiui*, indicat ſe in cœlo dominari. Dum ait, *Abyſſum penetraui*, ſignificat ſe dominari in inferno. Quando addit, *In fluctibus maris ambulaui*, poteſtas eius ſuper Purgatorio poteſt deſignari, vbi pœnæ ſunt velut fluctus tranſeuntes, & non permanentes. Tandem dum adijcit, *In omni gente primatum tenui*, in omni terra ſe dominari ſatis ſignificat: vbi etiam exercet poteſtatem in rebelles & ſuperbos, eorum colla calcare potens, ſicut & pridem caput ſerpentis.

*Apoc. 12.*

Rurſus ipſa eſt Regina illa, & Mulier prodigioſa, quæ in Apocalypſi exhibetur de cœlo *amicta Sole, coronata Stellis, Lunam habens ſub pedibus* (hoc eſt, calcans omnem mundi ſublunarem varietatem) cui Reginę fruſtra Draco rufus inſidiatur. Deſcribitur & in eadem Apocalypſi altera quædam Mulier, purpurâ & auro circumdata, ſedens ſuper beſtiam coccineam, habens poculum aureum in manu ſua plenum abominatione & immunditia, quo tamquam philtro ad ſe illectat & dementat Reges, ac Magnates, ac populos; habetque in fronte nomen ſcriptum: *Myſterium, Babylon magna, mater fornicationum & abominationum terræ.* Hæc porrò cum faſtu & ſupercilio dicit: *Ego ſedeo Regina, & non ſum vidua, & luctum non videbo.* Sed mendaciſſimè id dicit, quia poſteà de ea dicitur: *Cecidit, cecidit Babylon illa magna, & facta eſt habitatio dæmoniorum;* moxque eam ſequuntur luctus, plagæ, mors, excidium, ſupplicia; & eius ſectatores ſe deluſos inveniunt, omnique infelicitate oppreſſos, agnoſcuntque illud verum eſſe; *Impia ſub dulci melle venena latent.* Poma deſiderij animæ eorum receſſerunt ab eis, & vnâ horâ omnia eis pereunt, pompâ deſinente in fumum, gloriâ in ignominiam, plauſu in planctum, luxu in luctum. Quænam eſt illa Regina fallax & confuſione plena, niſi illa quam Romani Deam Volupiam vocarunt, & coluerunt tamquam voluptatum hominumque Dominam, teſte S. Aug. *Hæc nempè vbique dominari nititur, & ſuos ſequaces lenocinante poculo inebriare errores, hæreſes, voluptates, ſcelera eis propinando, quibus fiant emotæ mentis, nec videant infelicitatem vertici eorum incumbentem.*

*Apoc 17.*

*Auguſt. lib. 4 de Ciuit. Dei. cap. 8.*

Huic Reginæ ſe opponit Regina de qua agimus, quæ ſola poteſt dicere: *Sedeo Regina, & vidua non ſum, luctum non videbo.* Semper Sponſus & Rex cum ea eſt, & lætitiâ ſempiternâ fulget diadematis inſtar ſuper caput eius. Habet interim poculum aureum in manu, non felle aut veneno mixtum; ſed melle & vino mero: inuitatque omnes ad hauriendum ex illo liquorem puritatis & pietatis, fidei & ſpei, cœleſtis roris & amoris, ſapientiæ & veritatis, miſericordiæ & gratiæ, vitæ & ſalutis. Ideò ſic eam ſalutamus hîc. *Salue Regina, Mater miſericordiæ, vita, dulcedo, ſpes noſtra ſalue.* Accedat ad poculum iſtud quicunque miſer eſt, quicumque æger, quicumque in amatore, quicumque in diffidentia & anxietate; & deſerat illecebroſum poculum mundi, viroſum calicem Babylonis infeliciter inebriantem.

Refert Hiſtoria de Viris illuſtribus Ord. S. Dominici de B. Thaclauareto Indo, Martyre Dominicano, quòd ei in extaſi ad Montem Caluariæ tranſlato apparuerit Deipara, tradens poculum argenteum pretioſum ſuauiſſimo liquore plenum. Rurſus eidem rapto ad ſacrum Domini ſepulchrū tradidit vas aureum, cœleſte quoddam manna continens. Dum de priore vaſe biberet, repentè ei infuſa eſt cognitio vtriuſque Teſtamenti, & omnium quæ alijs ad eorum ſalutem tradenda erant. Dum de poſteriore vaſe aureo guſtaret; & miram percepit ſuauitatem, ac in momento conſecutus eſt ſcientiam omnium, quæ ad vitam futuram ſpectant, viditque Beatos in gloria, atque eorum locum & ordinem pro ratione meritorum. O felix poculum à Regina noſtra ei datum!

Illud quoque hîc obſerua, quòd abſolutè Regina hic vocetur & ſalutetur Maria, quaſi vniuerſaliſſimè: quandoque tamen ſpecificè vocatur Regina cœli, *Regina cœli lætare, alleluya;* quandoque Regina Cœlorum & Angelorum: *Aue Regina cœlorum, Aue Domina Angelorum.* Quin & in Litanijs invocatur vt Regina Patriarcharum, Regina Prophetarum, Regina Apoſtolorum, Regina Martyrum, Regina Confeſſorum, Regina Virginum, Regina Sanctorum omnium, idque propter regium quemdam excellentiæ Principatum, qua omnes, tam Angelos, quàm homines ſuperat dignitate, poteſtate, gratiæ & gloriæ plenitudine, cuiuslibet ſint gradus & ſanctitatis: & propter directionem, influxum, ac imperium, quod ei in omnes datum eſt: quia ſicut Filij pedibus omnia ſubiecit Pater, ita & Matris. Ei enim ſubjecta eſt Eccleſia militans & triumphans, tamquam Reginæ

*Quare Regina abſolutè vocatur.*

M

ginæ vniuerſaliſſimæ, ab omnibus colendæ & venerandæ, tam in cœlis, quàm in terris. Dicamus ergò, quòd Regina ſit, & quidem magis honorata, quàm Berſabée à filio, vtpotè quia & ipſa Mater eſt Regis illius Pacifici & Magnifici, qui pluſquam Salomon fuit. Dicamus quòd Regina ſit, ſapientia & munificentia Regina Saba longè excellentior. Dicamus quòd Regina ſit pulchrior quàm Eſther, & magis exaltata. Sicut porrò de Regina Eſther dicitur, quòd eam duæ comitarentur ancillæ, quarum vna Dominam ſequebatur colligens veſtimenta defluentia, alteri ipſa Eſther præ delicijs innitebatur; idē de Maria Regina dicere poſſumus, inquit S. Bona. *Duæ ancillæ ſunt, Angelica & humana creatura. Humana ſequitur Dominam ſuam, eius colligens veſtimenta, virtutes ſcilicet & exempla. Angelica eſt altera, cui in cœlo innititur præ delicijs, cuiq; imperat Potentiſſima.*

*Eſt magis Regina quam Berſabee. Regina Saba & Eſther.*

*S. Bonavent. in ſpecul. Vincent.*

Illud poſtremò hîc addendum, meritò Matiam vt Reginam ſalutari, quam vt talem ſupra ſe Reges & Imperatores, Reginæ & Imperatrices, demiſſiſſimè honorarunt, & coluerunt, agnoſcentes illud de ea verum eſſe: *Per me Reges regnant.*

*Reginarũ erga Mariam Reginam honor.*

Inter Reginas & Imperatrices S. Helena, Pulcheria Auguſta, Cunigundis, & innumeræ aliæ Reginæ & Regum filiæ eam honorarunt munificentiſſimis donarijs; immò & Templis extructis eius agnouerunt dignitatem, publicarunt poteſtatem, poſtularunt felicitatem. Nam S. Helena Templo illuſtrauit locum, vbi Maria ſuum peperit Filium in Bethleheem, & vbi ſepulta eſt in Gethſemani, ac alia loca, tum in Terra Sancta, tum Romæ, & Neapoli. Pulcheria quoque à tribus Templis in honorem Virginis erectis celebratur ab Hiſtoricis. Cunegundis verò erecta Eccleſia & Monaſterio, quod vocari voluit *Noſtra Domina Refugij*, ibidem in die dedicationis Eccleſiæ per Epiſcopos celebriter peractæ, ſeipſam Religioni & Reginæ Matri in perpetuum dedicauit.

*Mater Refugij.*

Inter Reges, qui ſceptra ſua ac diademata Reginæ huic ſubſtrauêre, celebris eſt Stephanus Rex Hungariæ, qui ſpecialiter voluit Regnum ſuum hoc nomine decorari, *Familia S. Mariæ.* Nempè illud ſpeciali voto conſecrauerat Virgini, eiusq́ue Feſta præ vijs ieiunijs, & ſingulari ſolemnitate agi mandauerat. Vndè & moriens conuocatis Epiſcopis & Primoribus, manus oculosq́ue ad cœlum erigens, ſic orabat: *O Regina cœlorum, mundi inclyta Reparatrix, tuo patrocinio nouellam hanc Eccleſiam cum Epiſcopis & Clero commendo, Regnumq; cum Primatibus & populis tibi ex integro committo, quibus nunc vltimum vale dicens, animam etiam meam in manibus tuis depono.* Sic in ipſa Aſſumptionis Mariæ Solemnitate in cœleſte regnum à Regina & Matre ſua in cœlum eſt aſſumptus.

*Regum & Imperatorum erga eam ſtudium.*

Poſſemus & plurimos alios hic adjungere Reges, Mariam ſupra ſe Reginam ſummo ſtudio venerantes, ſed breuitati conſulimus. Illud ſolùm adijcimus, quod de Jacobo primo Aragoniæ Rege multi ſcribunt, tanto eum in Virginem affectu fuiſſe, vt ſupra duo millia Templorum ei erexerit, victoriam omnem, quam de Saracenis frequentem reportarat, Virginis fauori adſcribens, tria regna ab eis occupata in libertatem vendicans. Atque de eodem refertur Reginam eius Matrem, dum eum vtero contineret, tum Chriſto, tum Virgini Matri ſpecialiſſimè commendaſſe. Cumq́ue dubitaret cuiuſnam ex Apoſtolis illi nomen imponi curaret, duodecim candelas cereas æqualis ponderis & magnitudinis ex voto offerri Apoſtolis curauit, vnicuique cereo nomen alicuius Apoſtoli adſcribens, vt qui diutius cæteris luceret, deſignaret huius Apoſtoli nomen puero imponendum. Quare cùm cæteris conſumptis, cereus Sancti Iacobi nomine ſcriptus reluceret, nomen Iacobi puero quaſi à Deo impoſitum fuit, vt ſcilicet Patroni Hiſpaniarum nomine potiretur, qui Hiſpaniæ & Chriſti nomen longè lateq́ue erat propagaturus.

*Vide Gomezium de reb. geſtis Iacobi primi Arag. Regis l. 1.*

*Gomezius l. 1. vita & alij, a. 1208.*

---

## MATER MISERICORDIÆ. SECT. II.

MAter miſericordiæ MARIA multis titulis. 1. Quia genuit Chriſtum, per quē miſericordiam conſecuti ſumus, qui & aliquando ſacris in literis *Miſericordia Dei* vocatur: *Suſcepimus Deus miſericordiam tuam tn medio Templi tui*, hoc eſt, Chriſtum tuum. 2. Mater miſericordiæ meritò vocatur, per cuius interceſſionem omne genus miſericordiæ ad nos provenit. Audies Auguſt. *Per te hæreditamus miſericordiam miſeri, ingrati gratiam, veniam peccatores, ſublimia infimi, cœleſtia terreni, Deum homines mortales vitam, patriam peregrini.* 3. Mater miſericordiæ, id eſt, Mater miſericordiſſima, more Hebræo loquendo, ſiue pleniſſima compaſſione & miſericordia. Sicut Deus ab Apoſtolo emphaticè nominatur *Pater miſericordiarum, & Deus totius conſolationis*: ita & Mariam dixeris meritò per antonomaſiam, *Matrem miſericordiarum, & totius conſolationis Diuam.* Et ſicut Deus dicitur Plenus viſceribus miſericordiæ: ita & MARIA plena eſt viſceribus & vberibus miſericordiæ: & conſolationis; ad quæ poteſt accedere quilibet & ſugere, quia ſemper ſunt fœcunda, ſemper plena. Et ſicut non eſt oneri infans matri turgidas mammas gerenti, ſed potiùs alleuiamento, dum eas ſugit; ita non eſt importunus MARIÆ, qui ad eam ſe conuertit, vt conſolationem, & miſericordiam inveniat. *Nec ad Mariam accedere trepidet humana fragilitas, nil auſterum in ea, tota ſuauis eſt, omnibus offerens lanam & lac. Omnibus omnia facta eſt ſapientibus & inſipientibus copioſiſſima charitate ſe fecit debitricem, omnibus miſericordiæ ſinum aperit, vt de plenitudine eius accipiant vniuerſi.* Videsne deſcriptam à S. Bernardo Matrem miſericordiæ, omnes ad ſe invitantem? O quàm dulce, quamq́ue ſuaue hoc Mar æ nomen afflictis, MATER MISERICORDIÆ! Illam certè miſericordiam nos ſemper altis decet extollere præconijs,

*Rationes variæ, cur B. V. Maria miſericordiæ vocetur.*

*1. Pſal. 47.*

*2.*

*3.*

*2. Cor. 1.*

*S. Bern.*

teſte

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

teſte Bern. *Sileat miſericordiã tuam, ò Virgo, ſi quis invocatã te in neceſſitatibus meminerit defuiſſe. Nos ſervuli tui cæteris in virtutibus tibi cõgaudemus ſed in hac potius nobis ipſis Laudamus virginitatẽ, miramur humilitatẽ, ſed miſericordia miſeris ſapit dule cius, miſericordiã amplectimur charius, recordamur ſæpius, crebrius invocamus. Hæc eſt enim quæ totius mũdi reparationẽ obtinuit, ſalutẽ õnibus impetrauit*

*Dimenſiones Miſericordiæ Virginis Deiparæ.*

Deniq; huius maternæ miſericordiæ dimenſiones explicans idẽ Doctor, ſic alloquitur Mariam: *Quis miſericordiæ tuæ longitudinem & latitudinem, ſublimitatem & profundum inveſtiget. Longitudo eius vſque in diem nouiſſimum invocantibus eã ſubvenit vniuerſis. Latitudo replet orbẽ, ita ut tuá miſericordiá plena ſit omnis terra. Sublimitas, ciuitatis ſupernæ attingit reſtaurationem. Profundum eius ſedentibus in tenebris & umbra mortis obtinnit redẽptionem. Per te enim cælũ repletum, infernus vacuatus eſt, inſtaurata ruina cæleſtis Ieruſalem, exſpectantibus miſeris vita perdita data.* An non cernis ex his omnibus, quam ſe extendat Reginæ huius potentia, & Matris miſericordiæ? De omnibus electis dicere poſſumus: *Iſti ſunt viri miſericordiæ, quorum pietates non defuerunt* De Maria autem dicimus: *Iſta eſt Mater miſericordiæ, cuius pietas non ſolum nõ defuit vmquam, ſed ſemper ſuperabundauit.* Hoc & iuſti, & peccatores iugiter ſunt experti.

*Miſericordia B. Virginis omnibus eſt imitanda.*

Iſtud verò adijcimus per modum moralis documenti. Maria, quia Mater eſt miſericordiæ, illos adamat, qui nomine ſuo alijs miſericordiam impendunt. Quare ſicut nobis in Evangelio dicitur: *Eſtote miſericordes, ſicut Pater veſter cæleſtis miſericors eſt* Sic & hic addere valemus: *Eſtote miſericordes, ſicut Mater veſtra cæleſtis miſericors eſt.* Hoc poſtremum attendentes multi Matri huic Filij perdevoti, in honorem ipſius in afflictos & egenos multa miſericordia vſi ſunt.

*Oſtenditur id varijs exemplis. S. Eliſabetha Hungariæ regis filia.*

S. Elizabetha Hungariæ Regis filia in ætate ſua adoleſcentula quicquid ei dabatur, vel in vſum vel in recreationem à parentibus, diligenter aſſeruabat in honorem Virginis Matris miſericordiæ pauperibus erogandum, & à quolibet egeno pro remuneratione petebat vnum *Ave Maria.* Vnde promeruit & ipſa cum Virginis imagine in manu ſpiritum reddere in his verbis: *Mater miſericordiæ tu nos ab hoſte protege.*

*S. Deodato Surius tomo. 2.*

Refert quoque S. Greg. de S. Deodato, qui artem ſutoriam exercebat, ſolitum ſingulis Sabbathis adire Eccleſiam S. Petri Romæ, & quicquid lucri congeſſerat vltra alimenta neceſſaria, ibidem in gratiam Mariæ erogabat in egenos. Quare multis à Deipara beneficijs affectus fuit: Viditque revelante Virgine quidam Dei ſervus Architectos Palatium aureum Deodato fabricantes, ſed ſolis Sabbathis operantes.

*B. Thomæ de Villa-Noua.*

Sic B. Thomas Villa nova ex Ord. S. Auguſt. Archiep. Valẽtinus, quia Matris miſericordiæ eximius cultor, etiã operibus miſericordiæ addictiſſimus fuit. Vnde eius funus octo millia & quingenti pauperes lugentes Patrem proſecuti ſũt. Evocavit autem cum Maria ad ſe in die Nativitatis ſuæ & eius miſericordiam remuneraret, quod ei promiſſum fuerat à Chriſto. Nam cum in Feſto Purificationis oraret coram Crucifixo, anxiusne excluderetur numero Beatorum, quia de numero Prælatorum, audiuit vocem: *In die Natiuitatis Matris meæ venies ad me.* Os verò Crucifixi, quod ante clauſum erat, exinde manſit apertum, & ſic hodie viſitur, dentibus apparentibus & perfectè, vt ſculptores negent vllo artificio quid ſimile fieri poſſe.

*In honorem Matris miſericordiæ hoſpitalia erigenda.*

Illud etiam hic commemoratione dignum, gratiſſimum eſſe huic Matri miſericordiæ, dum eriguntur ad eius honorem & imitationem Domus hoſpitales, Xenodochia, Pandochia, vbi miſericordia exhibeatur egenis & afflictis, ſive pro animorum, ſive pro corporum curatione.

*Congregatio Miſericordiæ Vliſſiponæ erecta.*

Sic Vliſſiponæ in Luſitania ſub auſpicijs Matris miſericordiæ erecta eſt celebris Congregatio, dicta *Congregatio miſericordiæ* anno 1498. ſub regno Emmanuelis à Regina Eleonora pientiſſima, quæ mox etiam expanſa eſt per primarias Regni vrbes cum magna gloriæ Dei & Matris eius incremento, & publico inopum bono. Singulis annis in die Feſto Viſitationis Mariæ duodecim eligũtur Confratres qui maximè idonei indicantur ad exercenda opera miſericordiæ, & vocantur Aſſeſſores, & his committitur ſpecialis cura viſitandi ægros & inopes ſimulque eos ſublevandi, captivos liberandi, orphanis & egenis puellis dotem ſubminiſtrandi ad conjugium, viduis providendi, cauſas earum per Advocatos gratis tutandi, omniaque alia pietatis officia exercendi, ad quem effectũ quotannis expenduntur ex gratuita contributione Conſodalium ſupra quinquaginta millia ducatorum. Quid gratius eſſe poſſit Reginæ & Matri miſericordiæ, quàm cernere hoſce filios ſuos, ob eius amorem & imitationem ita miſericordiam colere, & eam erga inopes tanto ſtudio excercere, atque ad nunc effectum ſeſe certatim aggregare, & Sodalitio huic nomen dare.

*Sodaliũ eorundẽ liberalitas,*

*Neapoli hoſpitalia & Xenodochia B. Virgini dicata.*

Sic & Neapoli omnia ferè Xenodochia & hoſpitales Domus Matri miſericordiæ dicatæ reperiuntur ſub diverſis titulis, & quidẽ maximo numero. Perambulans vrbẽ illam regiam reperies Hoſpitale magnum, dictum *Noſtra Domina de populo*, vbi omnis generis ægri recipiuntur ſumma charitate. Vlterius reperies Domũ dictam *Noſtra Domina de redemptione captiuorũ*, quæ ſingulis triennijs in Mauritaniam commiſſarios deſtinat cũ lytro ſufficiente, ad centũ captivos liberandos. Poſtmodum reperies *Noſtrã Dominã de Monte miſericordiæ*, vbi õnia officia charitatis exhibentur afflictis, ſive corpore, ſive animo. Deinde videre poteris *Noſtram Dominam de Natiuitate, Noſtram Dominã de viſitatione, Noſtram Dominam de Columna. Noſtrã Dominam de Conceptione, Noſtram Dominã de Charitate, Noſtram Dominã de Claritate, Noſtram Dominam Refugii, Noſtram Dominam de Annunciatione, Noſtram Dominã de Solitudine.* In quibus domibus vel

aluntur pauperes , vel educantur puelli & puellæ orphanæ, vel viduæ aut inopes mulieres ſuſtentantur, vel pœnitentes recipiuntur & aluntur, vel alia pietatis officia maximis ſumptibus , & charitate egregia exhibentur. Sic in omnibus iſtis domibus triumphat Mater Miſericordiæ.

*In honorem Matris Miſericordiæ nihil denegare cuipiam roganti per amorem Virginis Eẽplo S Gerardi Epiſcopi Hũgariæ. Et Alexandri de Ales.*

Honorarunt & illi ſpecialiter hanc Matrem miſericordiæ. qui firmo propoſito, vel voto , ſeſe aſtrinxerunt nihil vnquam denegare cuipiam roganti per amorẽm Virginis Mariæ. Quod quidem feciſſe legitur S. Gerardus primus Epiſcopus & Martyr Hungariæ. Vnde quicquid ab eo petebatur hoc nomine, ipſe miſericorditer impendebat, & quidem frequenter exilientibus lachrymis, dum ſanctum nomen audiret Dei Matris. Sic multi captivi libertatem ipſo mediante recuperarunt , hoc nomine id ab ipſo precantes.

Simili ſe etiam voto adſtrinxerat Alexander de Ales, irrefragibilis Doctor dictus, quõdam S. Thomæ & S Bonaven. Quapropter cùm rogatus fuiſſet ob amorem Mariæ Virginis, vt Ordinem S. Franciſci ingrederetur, multum fructum in eo ſua patientia facturus: ſenſit ſe mirè commoveri, & cùm nihil minus quàm de hac re antea cogitaſſet , dedit manus victas petitioni huic piæ , & inſpirationi ſanctæ , cùm ante imaginem Matris miſericordiæ pijs lachrymis ſeſe ei commendaſſet.

## SECT. III. VITA, DULCEDO, ET SPES NOSTRA SALVE.

DVrus hic ſermo , inquiunt noſtri hæretici abeuntes retrorſum, cum ipſi duri ſint , non ſermo Maria, ſicut & ipſius Filius , dulcia vitæ æternæ verba habet , quibus ſpem noſtram adjuvat & eregit, ſi vellent audire & intelligere , & ideo à nobis vt *vita, dulcedo, & ſpes noſtra* ſalutatur. Sed, ipſi inſtar aſpidis ſurdæ obturant aures ſuas , vt non audiant vocem incantantis ſapienter, & furor illis in ſimilitudinem ſerpentis blaſphemias ſuggerit invidioſas in Matrem Dei. Sed ringantur quantumlibet voluerint, dicimus quòd Maria ſit *Vita, Dulcedo, & Spes noſtra* , quia Filius quæ ſibi ſunt propria , facit & participatione communia.

*Quomodo B.V. Vita noſtra.*

Chriſtus eſt vita noſtra, quia vitæ auctor , de quo Evangeliſta: *In ipſo vita erat, & vita erat lux hominum.* De quo Idẽ: *Quod fuit ab initio, quod audivimus, quod vidimus oculis noſtris, quod perſpeximus & manus noſtræ cõtractaverunt de verbo vitæ; & vita manifeſtata eſt, & vidimus & teſtamur, & annunciamus vobis, &c* In omnibus Chriſtus vita noſtra eſt, inq. S. Amb *Ipſius divinitas vita eſt, ipſius æternitas vita eſt, ipſius paſſio vita eſt, ipſius caro vita eſt, ipſius mors vita eſt, ipſius vulnus vita eſt, ipſius ſãguis vita eſt, ipſius ſepultura vita eſt , ipſius reſurrectio vita eſt univerſorum.* Non ſic Maria vita noſtra dici poteſt ſicut ipſe: poteſt tamen & ipſa nominari vita noſtra accommodatè, ſuo ordine, & cum proportione. Ipſa enim peperit nobis auctorem vitæ, ipſa communicavit nobis fructũ vitæ: per eam participamus lumen vitæ, panem vitæ, per eam haurimus aquam de fonte vitæ; multis & ipſa impetravit vitam corporis & animæ. An non ergo meritò ob hæc omnia vt Vita ſalutatur, quandoquidem Mater eſt vitæ Mater divinæ gratiæ, ad hoc nobis data, vt inveniamus per eã veram vitam, ſuavem vitam, æternam & beatam vitam? Cur ei hoc invidetis, ô maligni! Certè ſicut Filius dixit: *Ego veni ut vitam habeant, & abundantiùs habeant;* Idem proportionaliter dicere poteſt & Mater, Ac ſicut Sapientia æterna inclamat apud Eccleſiaſticum: *Tranſite ad me omnes qui concupiſcitis me , & à generationibus meis adimplemini. In me gratia omnis viæ & veritatis, in me ſpes omnis vitæ & virtutis;* idem dicere poteſt & Mater Sapientiæ. Hinc rurſus & illud de ea canit, eique appropriat Eccleſia: *Qui me invenit, inveniet vitam, & hauriet ſalutem à Domino.* Per illam ergo vita, per illam ſalus, ſed à Domino. Non excludimus Dominum, non excludimus Ieſum Salvatorem, ſed includimus , quando ſic eam alloquimur: *Vita, dulcedo, ſpes noſtra ſalve.*

1. Ioan.

in Pſal. 36 v. 9.

Ioan. 10.

Eccli 24.

Prov. 8.

*Quomodo Dulcedo noſtra.*

Sed cur dicitur *Dulcedo noſtra?* Quia ſcilicet dulciſſima Mater eſt, Mater dulcedinis , Mater ſolatij omnis, amatorem fugans à filijs. Hinc & illi optimè quadrat illud: *Spiritus meus ſuper mel dulcis, & hæreditas mea ſuper mel & favum.* Ipſa eſt Mater illius Catuli Leonis , de cuius ore favum mellis eduxit Sampſon ab apibus ibidem nidificantibus compoſitũ , de quo & problema conſodalibus ſuis propoſuit : *E forti dulcedo.* Hic enim Catulus Leonis Chriſtum ræpræſentabat, favum nobis mellis proponentem , non per Sampſonem, ſed per Mariam, & menſam apparantem per eamdem , cuius refecti dulcedine poſſimus dicere : *Comedi favum cum melle meo, bibi vinum cum lacte meo.*

Eccli. 24.

Iudic. 14.

Cantic. 5.

Olim filij Prophetarum propter pulmentũ confectũ ex herbis agreſtibus & colochontidis , quod amariſſimum erat palato, inclamabant ad Elizæum *Mors in olla Vir Dei mors in olla.* At Elizæus, acceptà farinula, totum dulcoravit, & palato comedentium gratiſſimum effecit. Non abſimiliter filij Adæ cogebantur veſci cum amaritudine , & inclamare; *Mors in olla, Mors in cibo, mors in menſa,* quia lethalis ſuccus vbique immixtus. Sed dulcis Mater noſtra farinulã protulit omnia indulcorantem farinulam gratiæ, farinulam ſapientiæ, farinulam vitæ , vt vltrà non conquerantur filij Adæ, ſi ad eam recurrant pro conſolatione.

4. Reg. 4.

*Quomodo Spes.*

Quòd autẽ *Spes noſtra* dicitur Maria , hic modus loquendi de ea frequentiſſimus eſt apud Sanctos Patres. Primum quidem ſpei noſtræ fundamentum ſunt divina miſericordia , eiuſque promiſſa; quæ potens eſt adimplere , & vult adimplere per Ieſũ filiũ ſuum , & propter illum, de qua re S. Bern. *Tria ſunt quæ ſic confirmãt cor meũ, vt nulla me penuria meritorũ , nulla cõſideratio vilitatis propriæ nulla æſtimatio cæleſtis beatitudinis ab altitudine ſpei deijcere poſſit in eã firmiter radicatum. Tria igitur conſidero, in quibus tota ſpes mea cõſiſtit ; charitatem*

Bern. ſerm. 3 de Septem Panibus.

*adoptionis,*

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

*adoptionis veritatem promiſſionis, poteſtatem redditionis.* At poſt Chriſti merita, ſpei etiam noſtræ fundamentum eſt Virginis patrocinium. *Totis medullis cordium, totis præcordiorum affectibus Mariã hãc veneremur, quia ſic eſt voluntas eius qui totum voluit nos habere per Mariam. In omnibus & per omnia providens Deus miſeris, trepidationem noſtram ſolatur, fidem excitat, ſpem roborat, diffidentiam abigit, Filioli, hæc peccatorum ſcala, hæc maxima mea fiducia, hæc tota ratio ſpei meæ.* Quid clarius dicere poſſet? Conſonat & S. Augu. Virginem ſic alloquẽs *Accipe quod offerimus, redona quod rogamus, excuſa quod timemus: quia tu es ſpes vnica peccatorum, per te ſperamus veniam delictorum, & in te beatiſſima noſtrorum eſt expectatio præmiorum.*

*S. Benar.*

*Serm. de Aununc.*

Quomodò ſpes fuerit plurimis peccatoribus, ſatis docent S. Maria Ægyptiaca. Theophilus, & alij multi peccatores ad eam ſeſe convertentes, de quibus paſſim hiſtoriæ. Hi omnes potuere ei cum affectu & effectu dicere: *Vita, dulcedo. & ſpes noſtra ſalve.*

---

SEC. IV.

## AD TE CLAMAMUS EXULES FILII EVÆ.

*Corde potius quã ore Clamandum.*

IN his verbis docemur cum animi humilitate ad Virginem accedere, ſimulque cum cordis fervore: Fervor enim & affectuoſa cordis expanſio his in verbis indicatur: *Ad te clamamus* Non enim tam clamor oris, quam cordis ſignificatur, quia Dei Cælitumque aures penetrat, & petitionis piæ effectum, reportat. Sic dicebat Dauid: *Clamaui in toto corde meo, exaudi me Domine. Clamaui ad te ſalvũ me fac. Præveni in maturitate, & clamaui, quia in verba tua ſuper ſperaui.* Ecce quoties repetit *clamaui.* vt cordis ſui vehementiſſimum affectum & deſiderium oſtendat. Hæc eſt vox cordis, de qua ſubiungit: *Vocem meam audi ſecundum miſericordiã tuam, & ſecundum iudicium tuum viuifica me:* Nẽpe, non clamor, ſed amor pulſat in aure Dei: Sic Moyſi dicitur: *Quid clamas ad me?* Tacebat voce, ſed clamabat affectu & corde. Deſiderium pauperũ exaudit Dominus, exaudit & Maria. Ipſa igitur nõ ex conſuetudine arida invocanda eſt, aut cum tepiditate, ſed magno affectu & deſiderio. Humilitas etiam commendatur in eo, quòd ad eam vota noſtra dirigere docemur, tamquam à Filio eius, & ab ea longati, vtpotè in exilio agentes miſeri & ærumnoſi, dum ipſa in cælo agit loco ſublimiſſimo ſuper Angelos exaltata. De profundis ergo miſeriæ noſtræ, tamquam de abyſſo ad eam vt Dominam, & Reginam, & miſericordiæ Matrem, corda & vocem levamus; quia vbi vult, quando vult, quomòdo vult, cui vult, poſt miſericordiam impendere. Inſtar *Ionæ* de aquis tribulationum, de pelago afflictionum, quaſi de vtero ceti clamandum & orandum, & non erit inanis clamor aut oratio. Quis enim ſuam agnoſcens miſeriam, inuocauit eam, & repulſam paſſus eſt?

*Ad Te vox emphatica.*

Illud quoque habet emphaſim, AD TE, quaſi diceremus: Ad te vota dirigimus, qui non ſumus tibi incogniti; etenim nec noſtræ latent te miſeriæ, cui & parentela & cognatione ex Adamo & Eua coniuncti ſumus. Ad te, inquam, cuius filius *Frater noſter eſt, os & caro noſtra.* Ad te denique, cui ad ſuccurrendum nec deeſt voluntas, nec potentia: & ad hoc in regnum evecta es à Deo, vt pro nobis ſtes miſeris & afflictis: ideò Sceptrum & Coronam geris, vt oppreſſos miſericorditer & potenter releues. Non enim dicimus vt Mardochæus Reginæ Eſther: *Quis nouit vtrum idcircò ad Regnum veneris, vt in hoc tempore parareris?* Certò enim nouimus te proptereà evectam, & ideò fiducialiter accedimus, ad te clamamus, te invocamus, tamquam Reginam oppreſſi, Matrem miſericordiæ miſeri, Vitam morientes, Dulcedinem in amaritudine exiſtentes, Spem in rebus penè deſperatis agentes. Exaudi ergò quia benigna, quia per Filium potens & magna, quia in æternum admiranda & veneranda.

*Eſther. 4.*

*Eua & MARIÆ Antitheſes.*

Sed ex illo etiam titulo nos iure ad eam clamare ſignificamus, quòd exules filij Euæ ſimus, ipſa autem vt altera Eua oppoſita primæ nobis ſuccurrere teneatur. Ipſa nimirum eſt *Mater viuentium,* ſicut altera Eua contra nominis ſui rationem fuit *Mater morientium.* Prima nobis lachrymasq; & exilium attulit; ipſa verò gratiam rependere debet & gaudium. Vnde quidam de eius Natiuitate canit:

*Naſcitur hæc teneriſq; ſalutat fletibus orbem,*
*Quæ mundi lachrymas tollere prima venit.*

*Vide dicta à nobis ſuper illud* Mutans nomen Euæ. *vbi plura pro huius verſus explicatione.*

Prima Mater peccati cauſa eſt & maledictionis in nos dimanantis, ipſa autem benedictionem pro maledictione nobis debet refundere, & ruinam reparare, ac in Paradiſum de exilio reducere. Cuinam ergò nos ſecuriùs & feliciùs committemus, quam illi quæ non poteſt nos deſerere, nec miſeriam noſtram deſpicere?

*Gretſerus Commẽt. in Codinum, c. 2.*

Referunt nonnulli, Apoſtolis in Jeruſalem tranſlatis, vt aſſiſterent morti & funeri Matris ſuæ Mariæ, tertiâ die ab obitu, dum corporali refectione ſimul ſumpta, more ſolito gratias agerent, eam apparuiſſe luce cinctam & gloria, ipſis & ſtupentibus & gaudentibus. Dumque ſoliti eſſent in fine gratiarum actionis dicere: *Domine Ieſu Chriſte adiuua nos,* vna tunc voce & mente inclamarunt: *Panagia Deipara adiuua nos*; hoc eſt, *Tota Sancta Mater Dei opitulare nobis.* Ipſa verò ſereno vultu, & majeſtate pleno reſpondit idem quod Filius. *Ego vobiſcum ſum omnibus diebus.* Hoc porrò non ſolum cenſendum eſt dictum Apoſtolis, ſed & omnibus Fidelibus fiduciam jacientibus in eam, quos numquam deſerit, aut deſpicit, ſicut nec Filius: quamvis conveniens fuerit, vt Apoſtoli primum ex ore eius hoc promiſſum perciperent, ſicut ex ore filij idem audierant.

*Poireus Trip. Coron. Tract. 2. c. 6.*

*Matth. vlt.*

Certè meritò ad eam clamamus, & vota noſtra dirigimus exules filij Euæ, quæ illum peperit, qui de ex-



UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

88. *Angeli docent nos Orationem illa Felix nãque es ſacra Virgo &c.*

de exilio nos revocare volens, dedit benedictionem, & confundens mortem donat nobis vitam. *Sentiuntq́ omnes Mariæ iuuamen quicumque celebraut eius commemorationem*, clamates ad eam, vt canit Eccleſia. Hoc & nos docuere Angeli, idipſum quandoque auditi vocali laude cantare, vt nos conſolarentur in hoc ærumnoſo exilio, & in terra peregrinationis noſtræ. Audi quod hac de re refert Tho. Cantip. l. 4. Apum c. 40. n. 7. qui aſſerit ſe duos noviſſe ex illis viris, hac apparitione Angelica Dignis.

Vidi, ait, Sueſſionem ciuitatem in Gallia excommunicationi ſubiacuiſſe diu, & nonniſi ſub ſilentio Clericos divina Myſteria celebraſſe. In vigilia Aſſumptionis, D. Ioannes Reſebas Prior Canonicorum Regularum S. Ioannis in vineis, iuxta muros civitatis, aſſumptis ſecum tribus devotiſſimis Canonicis in montem proximum civitati, vbi quondam Eremita reſederat, ad celebrandam ſolemnitatem B. Virginis ſeceſſerunt. Iinclinata iam die, cantatis Veſperis, panem & aquam ore ſobrio libaverunt. Inde Completorio dicto, poſt longas orationes membra ſuper nudam humum, ad paululum quieſcendum proſtraverunt. Mox ſurrexere, & cantavere Matutinas magna devotione. At vbi Prior novam Lectionem finiuit, ſubitò concentus Angelorum inſonuit, & Reſponſorium decantauit. *Felix namque es Sacra Virgo Maria.* Quo vſque ad verſiculum dicto, quatuor tantùm Angeli ex illa innumera multitudine verſum proſecuti ſunt: *Ora pro populo, &c. Sentiant omnes tuum iuuamen, &c.* Addiderunt & *Gloria Patri*, multitudine ſemper cum repetitionibus reſpondente. Finito Reſponſorio, factum eſt ſilentium Angelorum. Priore autẽ inchoante *Te Deum laudamus.* Matutinas cum Laudibus perfecerunt. O quot tibi lacrymæ, quot ſuſpiria, in recordatione ſuaviſſimi huius modulaminis in corde horum devotorum, qui tamquam exules filij Evæ in terra peregrinationis ſuæ reſpirabant ad protectionem Mariæ, eius cum Angelis felicitatẽ decantantes, & benedictionem implorantes! In eis completum tunc fuit: *Reliquiæ cogitationis diem feſtum agent tibi.*

*Pſal. 75.*

*Serm. 35. de ſanctis Idem. 2. de Aſſũpt. S. Auguſt Oratio ad B. V.*

S. Auguſt. ſimilem habet huic orationem, *Ad te clamamus exules filii Evæ, S. Maria ſuccurre miſeris, iuua puſillanimes, refoue flebiles*, Poſtea adiũgit; *Sit tibi compaſſio ſuper afflictus, ſit pius affectus ſuper cælorum peregrinus, & cum lætantem ſemper aſpicis, fletus noſtros ad Deum quæſumus admitte eumq́ vt proprium Filiũ pro nobis interpella.* Nos enim adhuc *in terra hac affligimur, perſecutionibus laceſſimur, opprobriis afficimur, eſurimus ſitimus. Tu in cæleſtibus regnis prælata es cunctis Virginum Choris. Tu Agnum, quocumque perrexerit, ſequeris Tibi Thronus regius ab Angelis collocatur. Tu aula æterni Regis, teque ipſe Rex Regũ & Matrem verã & Sponſã decorã præ omnibus dilectam amoris amplexu tibi aſſociat, Has ergo tantas felicitates poſſidens, cõvertere ad noſtrarũ miſeriarũ ſalutem.* Quid verò aliud hic dicimus, dũ canimus: *Ad te clamamus exules filii Evæ, gementes & flentes in hac lachrymarum valle?* An illa quæ pro liberandis meruit proferre pretiũ, deſinet gementibus, & ad ſe clamantibus impendere ſuffragium? Taceant ergo hic hæretici, & à lingua viroſa abſtineant, impedire conantes noſtram ad Deiparam orationem, quam nos docet Mater noſtra Eccleſia, S. Auguſt & alij Sancti Patres.

---

## AD TE SUSPIRAMUS GEMENTES ET FLENTES IN HAC LACHRIMARUM VALLE.

SECT. V.

*Mundus Vallis Lacrymarum.*

MEritò hic mũdus dicitur *Vallis lachrymarũ*, in quo poſt peccatum tot inundarunt mala, tot miſeriæ, tam corporales, quam ſpirituales, tot infortunia, tot pænæ, afflictiones, & dolores; vt meritò eas conſiderantibus & experientibus, lachrymas & gemitum cieant, idque frequentiſſimè. Vix enim reperitur aliquis adeò compoſitæ mentis, vt non cum aliqua calamitate luctetur, aut ſub onere aliquo gemere & ſuſpirare cogatur. Vndè hic Mundus rectè etiam dicitur *Vallis viſionis onerum*, in quo non cernitur niſi multiplex Ovis calamitoſum & triſte opprimens corpus & animum: *Onus Babylonis*, ſiue confuſionis: *Onus Ægypti*, ſiue tenebratum: *Onus Damaſci*, ſive ſanguinis fuſi; quod nunc cernitur corporaliter in tot bellis ſanguinolentis, & ſpecialiter in tot peccatis carnalibus. *Onus Philiſtiim*, id eſt, vexationis immundorum ſpirituum, &c. De quibus oneribus agit Iſaias à c. 13. & myſticè explicat S. Bernardus ſer. ſpeciali de vndecim Oneribus Iſaaiæ.

*Valli viſionis onerum. Onus Babylonis Onus Ægypti Onus Damaſci Onus. Philiſtinum.*

An non propter hæc omnia Mundus iſte rectè dicitur Vallis oneroſa. Vallis calamitoſa, Vallis Adonum inter Ieruſalem & Ierico, Vallis lachrymarum, Locus flentium. Dicebat olim Ierem. *Statue tibi ſpeculam, pone amaritudines, dirige cor tuum in viam rectam.* O ſi aſcendere poſſemus in ſublimẽ adeo ſpeculam, vt quæ in hac Valle geruntur, contueri poſſemus, quantam amaritudinem, quantam copiam lachrymarum cerneremus ex varijs afflictionibus & miſerijs exortam! Attende mecum varias ſortes hominum flentium.

*Ierem. 31.*

*Diuerſæ ſortes hominum flentium.*

1\. 1. Iſte flet propter inopiam, quia nec ſibi, nec proli poteſt cibum providere: Ille opes habet copioſas, ſed flet, quia cum continua ægritudine & languore conflictari cogitur, etiam agens inter opes, ſine conſolatione. Audi Antiochum, *Heu in quas anguſtias deueni, qui iucundus eram in mea poteſtate!*

2\. 2. Iſta deflet quòd proles non habeat, felici aliàs iuncta matrimonio ſicque luget, quòd alieno hæredi cenſum relinquere cogatur. Illa ipſamet quas habet proles, deflet, quia cruci ſibi ſunt & opprobrio. Anna Mater Samuelis flet amarè coram Heli, defectu prolis. Heli debuiſſet flere ipſe ſuper filijs ſuis impijs & ſuper eorum opprobriis. Ezechias Rex in ægritudine ſua flebat defectu generationis. Rex David amarè flet in interi-

tu filij ſui Abſalonis ſepulti in inferno mole crimi-
nis.

*Ille vnus felix, qui fletum hîc egerit omnem,*
*Ne lachrymas ſtillet poſt ſua fata nouas.*

3 3. Iſte flet, quia filiam vel filium dilectum perdidit, in quo ſpes domus, vt viduam in Naim. Ille deflet vel fratrem, vel parentem, vel amicum, quo magnoperè egebat. vt Martha.

4. 4. Iſte flet, quia dàmnum paſſus in fortunis per tempeſtatem, vel naufragium, vel latrocinium. Ille deflet, quòd opprobrium pati cogatur, vel iniuriam in honore, vt Suſanna.

5. 5. Iſta puella deflet ſortem ſuam, quia deprehenſa in malo, vel quia decepta falſis promiſſis. Illa deflet jugum parentum, quia libertate vti nequit, aut quia non aſſequitur prætenſum matrimonium.

6. 6. Iſta vidua lamentatur maritum & orbitatem. Illi pupilli patrem, quia violentiæ non poſſunt reſiſtere. *Vidi ſub Sole lachrymas innocentium,* inquit Eccleſiaſtes, *& neminem conſolatorem, &c.* *Eccleſ. 4.*

7. 7. Iſte flet, quia à creditore vrgetur, nec poteſt ſatisfacere. Ille aliam deflet afflictionem, vel vexationem, quam à ſe non poteſt excutere.

8. 8. Ille flet ob infelix matrimonium, quia malè elegit. Ille flet, quia arguentem ſe ex ſuperbia & impatientia non poteſt pati, aut quia lite cecidit, &c. Sexcentas alias occaſiones liceret hîc recenſere, ſed hæc ſufficiant modò per modum exempli. Ex quibus dilucidiſſimum eſt non meritò ad Mariam Matrem conſolationis nos clamare, & dicere: *Ad te clamamus exules filij Heuæ, &c.*

Quis adeò cæcis vel clauſis oculis Orbem hunc perambulat, vt non videat, quòd meritò ob hæc omnia, *Locus flentium dicatur, & Vallis lachrymarum.* Eamdem ob cauſam ſic Deum precatur Eccleſia: *Intuere Domine propitius tribulationes plebium, pericula populorum, captiuorum gemitus, miſerias orphanorum, neceſſitates peregrinorum, inopiam debilium, deſperationes languentium, defectus ſenum, ſuſpiria iuuenum, vota virginum, lamenta viduarum.* Quibus verbis compendio comprehenduntur occaſiones lachrymarum, quas iam inſinuauimus, quæ frequentiſſimæ ſunt inter filios Adæ, & filias Euæ. Rectè canit quidam:

*Vt lachrymis cœpi, lachrymis ita finio vitam,*
*Totum penè meum viuere flere fuit.*
*Sic omnes vitam ordimur, ſic claudimus omnes,*
*Ad fletum flentes naſcimur, & morimur.*
*Naufraga nos iſtis tempeſtas mergit in vndis,*
*Quiſque ſuis merſus ſi ſepelitur aquis.*

Sed felices, qui propter Dei cauſam gemitus & ſuſpiria educunt; vel ad eum illa referunt, aut ad Dei Matrem, cui hic Titulus per excellentiam competit, *Conſolatrix afflictorum.* Quia ergò ad Deum per eam recurrendum eſt in omni afflictione, vt abſtergat lachrymas & lamenta, vel impetret patientiam cum gratia, ideò hîc dicitur: *Ad te ſuſpiramus gementes & flentes in hac lachrymarum valle.* *ad Deum per B. V. recurrendum.* Quicumque ad eam ſincero & pleno recurrit corde, lætitiam invenit & conſolationem, quia de ea verum eſt, *Sicut lætantium omnium habitatio eſt in te?* *Pſal. 86.* Hoc & Eccleſia ei erecta, ſub hoc titulo, *Noſtra Domina de Lætitia, Noſtra Domina de Conſolatione,* & ſimilibus alijs æquivalentibus Titulis, idipſum ſatis manifeſtant.

*Nouit cõpati lacrymantibus.* Certè ipſa nouit compati lachrymantibus & gementibus, quæ in hoc ſæculo frequenter in cœlum ſuſpiria & gemitus cum lachrymis dirigit pro peccatoribus, & non tam pro ſuis quàm pro noſtris ærumnis. Verum enim fuit de illa, cùm in hac vita mortali ageret: *Plorans, plorauit in nocte, & lachrymæ eius in maxillis eius.* *Thren. 1.* Gladius enim doloris propter filium, & propter impiorum peccatum non ſolum ſemel pertranſijt animam eius, ſed multas & multoties ei extorſit cum ſuſpirijs lachrymas. Et ſi modò adhuc poſſet, lachrymas daret compatiens ſuper ærumnis noſtris ſuper peccantium præſentibus & futuris miſerijs. *Luget futuras miſerias hominum.* Quod quidem quandoque voluit nobis declaratum certis apparitionibus, & effectibus, ſiue ſignis.

*Exẽplum.* Propterea S. Lutgardi quondam apparuit B. Virgo vultu lugubri & ſqualido, inquirit ipſa compaſſione mota, vndè talis pallor ſqualorque in ea, quæ dicitur decore & gratia plena? Reſpondet Maria: Quid miraris vultum lugubrem? En enim rurſus crucifigitur filius meus ab hæreticis, & falſis Chriſtianis. Sed tu aſſume lamentum & continuis ſeptem annis ieiuna, vt ſopiatur ira filij mei, ſicq; cenſeberis lachrymas abſtergere meas. Quod fecit.

*Exẽplum aliud.* Non abſimili viſione ſeſe oſtendit B. Coletę, Reformatrici à ſe electæ Ordinis Clariſſarum. Cum enim ipſa feruenter oraret B. Virginem, vt pro peccatoribus apud filium interveniret, oblatus ei fuit diſcus plenus particulis carnis, velut infantis in fruſta conciſi, dixitque Virgo facie quaſi lugubri: *Quomodò deprecabor filium pro his, qui illum quotidiè horrendis ſceleribus in minores partes diſcindunt, quã ſint hæ quas cernis?*

Illud quoque notabile eſt, in ſignum compaſſionis ſuper peccatoribus, ſiue plagis eorum, nonnunquam ſanguineum ſudorem, velut lachrymas, per Imaginem ſuam dediſſe. Audi memorabilem hiſtoriam, quæ noſtro contigit æuo, & deſcribitur à Juſto Lipſio in Diua Virgine Aſpricollenſi. Venerant Sichemium (oppidum eſt vicinum Aſpricolli, ſiue Monti acuto, vbi recenter cultus Virginis in omnium inardeſcebat animis) è pagis adjacentibus Scabini quinque negotij publici cauſa, *Statua Deiparæ ſtillat ſãguinem Sichemij.* quo peracto ad ſacrum ſacellum divertunt. Vnus de illis inter orandum guttam ſanguinis in labro Virginis videt. Accedit, manu tangit, & digitis abſtergit. Attonitus oſtendit ſocijs, non ſine eorum item admiratione. Sed ecce ſecunda ſe ibidem gutta prodit, & ab alio detergitur. Fit idem tertiò; Fit quartè. Quartam autem ſtillam quidam de ijs

(Walſe-

(Walterus Vnkelerus) candido linteo exceptam omnibus exhibuit, veri ſanguinis colore, manſitque in poſterum diem, inſtar denarij numini diffuſa, ſed minus rubens. Circumſpexêre illi Sacelli tectum, ne quis fortè humor delapſus fefelliſſet; nihil inventum. Sed quidquid & quaqua cauſa hoc fuit, vi cœleſti ex arido ligno ſtillauit: Addit piè Lipſius:

*Quid ſigni tamen hoc fuiſſe dicam?*
*An ſudas Dea ſanguinem hoc in æuo,*
*Quo ſanguis malè funditur: dolorem*
*Et ſic exprimis? An magis cruenta*
*Siſtes bella, tuisq; gutta labris*
*Vt deterſa fuit, ſic & madenti*
*Huic fiet patriæ? ô benigna fiat,*
*Et iuua precibus, Deumq; placa.*

*In Germania Cæſarius l. 6. 7. Statua Deipa. In Gemi: ſudoris multipli Emittit guttas.*

Simile quid in Germania ſua ætate contigiſſe refert de mirac. circa annum 1222. Cùm enim Miſſa celebraretur ad Aram Virginis coram eius Imagine, viſa eſt Imago ſudoris multiplices emittere guttas, ſtupentibus & videntibus omnibus. Cumque ibidem poſſeſſus à dæmone exorcizaretur, multo cum vlulatu reſpondit, Mariæ Filium extendiſſe brachium ad punitionem hominum; & niſi ipſa obviaſſet, magnam Orbis partem internecioni eſſe dandam, idque ſignificare ſudorem illum prodigioſum Imaginis.

*Salerni in regno Neapolitano.*

Memorabile quoque eſt, quod Salerni in regno Neapolitano anno 1611. contigiſſe narratur. Erat ibi imago Deiparæ depicta rudi penicillo in pariete cuiuſdam domus, quæ hora ante Solis occaſum prodigioſum cœpit ſudorem emittere aqueo liquori perſimilem: guttula etiam rubra coloris ſanguinei ex eius fonte fluxit, quod à quatuor viris obſeruatum eſt. Fuiſſe videtur hic ſudor prænuntius ingentis cladis, quæ die ſequenti, qui erat dies Pentecoſtes, contigit, quando Monaſterium nobiliſſimum Montis Virginei non procul à Neapoli conflagrauit plurimis abſumptis. Videtur Deipara tam multorum interitum miſerata, precibus apud Filium pro eorum incolumitate enixè fuſis, quaſi laboraſſe & exſudaſſe. Evulgato autem hoc Imaginis ſudore, ingens ad Imaginem concurſus factus eſt, ibique nobile Templum piorum eleemoſynis ædificatum eſt, cum hoc diſticho ad Imaginem ſuppoſito:

*Virgineus cùm Mons multorum cæde flagrauit,*
*Sudorem hæc viſa eſt mittere ſanguineum.*

*Spinellus de Miraculis c. ult.*

Et ne quis ſuſpicaretur hunc ſudorem, caſu, vel naturaliter, vel alia de cauſa fluxiſſe, ex eo tempore cœpit Imago miraculis clarere. Die enim iſto Pentecoſtes Clericus, cui brachium & manus ſiniſtra inaruerat, à biennio, hoc ſudore à Sacerdote illita, illicò vſum recepit & motum.

*Item in Epiſcopatu Spoletano. pennotus li. 3. c. 34.*

Nec hîc prætereundum, quod anno 1494. in Epiſcopatu Spoletano propè oppidum Trivio malorum Italiæ prognoſticum apparuit. Erat & ibi Sacellum in compito, vbi B. Mariæ Imago cernebatur depicta in pariete; illaque tunc à plurimis lachrymas fundere viſa eſt. Eius rei fama multos etiam e Roma exciuit, collatæque ſunt eleemoſynæ, ex quibus Templum miræ magnitudinis & ſpeciei erectum eſt in honorem Virginis, quod hodieque S. MARIA DE LACHRYMIS vocatur.

Neque verò ſolùm audit Maria gemitus illorum, qui pro ſe & peccatis ſuis aut afflictionibus ingemiſcunt, ſed & illorum, qui ex compaſſione alienas deflent afflictiones & iniquitates, in eorum enim charitate complacet ſibi. Propterea Romæ celebris eſt locus dictus *Noſtra Domina de Porticu*, qui poſſidet Imaginem è cœlo allatam B. Gallæ, viduæ Conſulis Symmachi. Hæc cùm vacaret continuò operibus pietatis, ita vt centum quotidiè pauperes proprijs aleret manibus, Virginique Deiparæ devotiſſima foret, meruit in domum ſuam ab Angelis recipere Imaginem eiuſdem Deiparæ Filium ſuum in vlnis fouentis, in lapide pretioſo Sapphyrino aureis lineis, manibus Angelicis efformatam, multaque luce circumfuſam. Imaginem hanc tenebant in aëre ſuſpenſam Angeli, miræ pietatis ſenſum inſtillantes cordi huius viduæ. Poſtquam verò diu illam venerata fuiſſet, & pro tanto feruore Virgini Matri gratias egiſſet, adijt S. Pontificem Ioannem, huius nominis primum gloriosumq; poſteà Martyrem, enarrans quæ domi ſuæ gererentur.

*Imago Deiparæ è Cœlo allata B. Gallæ.*

Advenit Pontifex, moxque vbi domus limen attigit, omnes Campanæ Vrbis Romæ ſponte ſua ſine vllius impulſu perſonuerunt. Illicò verò flexis genibus fudit preces, & Imago, quæ in aëre ſuſpenſa omnium animos admiratione ſuſpenſos tenebat, ab Angelis in eius eſt depoſita manibus. Atque eo ipſo die peſtis, quæ tota vrbe graſſabatur, Virginis beneficio eſt depulſa, exaudiente ipſa gemitus & ſuſpiria pro afflictis ad ſe directa.

*Virginis beneficio peſtis Romæ quieſcit.*

Neque ſemel contigit, vt exaudiret filios Euæ clamantes, & flentes, & ſuſpirantes ad ſe pro peſtilentia & contagione.

Nam tempore Calixti tertij cùm iterum peſtis Vrbem depaſceret, eadem Imagine in Proceſſione cum ſupplicatione delata, ceſſauit mox lues.

Tempore item Adriani Pontificis idem contigit. Immò & id vltra tunc Judaicam perfidiam confundens accidit; quod cùm Judæus quidam per plateas tranſiens averſo capite & vultu irrideret ſupplicem & ſolemnem Proceſſionem cum Imagine Virginis, caput ita averſum permanſit, vt nullo modo in priorem potuerit redire ſtatum. Mulierque Iudæa cùm oculos avertiſſet ab Imagine, repentè cæca facta eſt.

*Italia Turcorum irruptionibus liberatur.*

Denique tempore Leonis decimi, anno 1518. cùm ingens Turcorum exercitus Chriſtianitatis excidium meditaretur, Pontifex Leo totam videns territam Italiam & Eccleſiam, eamdem Imaginem per Vrbem deferendam decreuit, quam & nudis ſecutus eſt pedibus: nec multò poſt ſenſit Eccleſia huius piæ ſupplicationis ad eam, quæ gementes audit, effectum & profectum. Hæc ex monumentis S. Mariæ in Porticu nota ſunt. Ergò meritò hoc frequen-

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

frequente & fervente oratione repetimus : *Ad te clamamus exules filii Evæ: Ad te ſuſpiramus gementes & flentes in hac lachrymarum valle.*

---

Sect. VI Eia ergo Advocata noſtra.

*Aduocati plurimi in Cœlo.*

Certum eſt in Civitate cœleſti Ieruſalem, vbi omnes noſtræ cauſæ & negotia ſalutis determinantur, multos pro nobis ſtare advocatos & Defenſores, Mediatores & interceſſores: omnes enim Sancti Angeli, omnes Electi Dei in negotio ſalutis favorem nobis impendere ſatagunt.

*Angeli.*

De Angelis nimis notum eſt, vt notum fiat, quanta ſe erga Deum gerant ſollicitudine vota noſtra repræſentantes, ſupplicesque libellos, vt nobis gratiam reportent: Hi nempe ſunt *Spiritus in miniſterium miſſi propter eos qui hæreditatem capiunt ſalutis.* *Heb. 1.*

*Sācti alii*

De Sanctis quoque alijs non ambigimus, quia nos expectant, nec poſſunt conſummari ſine nobis gloria corporis: non poſſunt veſte duplici indui, donec compleatur numerus Fratrum, & ideo non poſſunt noſtri obliviſci, Immò quia nobis in pignus & arrham affectus reliquerunt corporum ſuorum exuuias, excitantur ad orandum pro nobis, excitantque nos ipſos, vt recurramus ad ipſos, *Et quia idem iter confecerũt quod nos, experientiâ didicere miſerias noſtras, ideo compatiuntur & interveniunt pro nobis.* *S. Ambr.* Adde, quòd cum multa pro Chriſto paſſi ſint, vt efficacius orent, repræſentant paſſiones ſuas, membra divulſa, vulnera ſuſcepta, capita exſecta, cicatrices glorioſè remanentes. Hæc tot ſunt ora pro nobis aperta in ſalutis noſtræ cauſa.

*Spiritus Sanctus & quomodo.*

Quid quòd ipſe Spiritus Sanctus Advocatus noſter dicitur; Paracletus enim idem eſt quod Conſolator & Advocatus: & pro nobis orare à S. Paulo aſſeritur, & quidem gemitibus inenarrabilibus? Quod quidem intellige, non quod perſonaliter id præſtet, hoc enim illi vt Deo & ſupremo numini competere nequit: Sed cum ſit ipſe principium noſtræ ſanctificationis, inſpirat nobis vt oremus, in mentem fundit lucidas cogitationes, in cor affectuoſas motiones, in os verba pietate plena, in pectus ſuſpiria gemebunda, in oculos lachrymas calentes, vt repræſentemus Deo miſerias noſtras, os aperientes attrahamus ſpiritum & gratiam, *Flabit ſpiritus eius, & fluent aquæ.*

*Primarius, hominum Advocatus eſt Christus 1. Ioan 2.*

Verùm cum Advocati officium in eo conſiſtat, quod ſuſtineat graviter, quod dirigat prudenter, quod proſequatur diligenter, quod defendat fortiter clientis ſui cauſam, verè primarius eſt Advocatus noſter Chriſtus in cælis apud Patrem. Sic enim de eo loquitur S. Ioannes: *Sed & ſi quis peccauerit, Advocatum habemus Ieſum Chriſtum iuſtum, & ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris, & non eſt ſolùm pro peccatis noſtris, ſed & pro totius mundi.* Ipſe ergo Advocatus eſt, non ſolùm ſicut cæteri Sancti, ſed etiam eſt Propitiator & Propitiatio, ſemper adſtans vultui Patris pro nobis: nec tali modo Advocatus alter vllus eſſe poteſt, pretium & ſatisfactionem offerendo Cum vero iam diu oblatum ſit pretium, *ſemper vivens interpellat pro nobis*, vt ait Apoſtolus, vt nobis applicetur, & efficax ſit. Et hæc interpellatio, ſiue oratio, fit non ſolum interpretativè & implicitè, quia ſcilicet plagas, vulnera, cicatrices exhibet Patri, meritaque ſua: ſed etiam fit oratione propriè dicta, qua à Patre gratiam & ſalutem nobis impetrat, iuxta antiquum Patris promiſſum & meritum ſuum præmiſſum.

*Christus quia etiã eſt Iudex, ideo ſpeciale nobis Aduotam dedit B. Virginem.*

Porro, quia non ſolum ipſe Advocatus eſt, ſed & Iudex, ideo ſpecialem nobis providit Advocatam Matrem ſuam, quæ ſuſcipiat in cauſa noſtræ ſalutis ſpecialem noſtri defenſionem & curam, & quidem ardentius & efficacius, quam alij Sancti. Quo enim maior eſt apud Deum eius & charitas & potentia ea, efficacius eſt & præſidium, adverſarijſque exindè eſt formidabilior. Si Filius propter advocationem exhibet vulnera, ipſa repræſentat vbera. Sic nec Pater vulnera Filij, nec Matris vbera repellere poteſt, quibus Filius eſt lactatus. Vbique ergo charitatis inſignia; & propterea magno deſiderio, ardenteque prece, ipſa vt Advocata noſtra eſt invocanda, noſtræque ſalutis negotium ei commendandum, vt ſub eius tutela adverſarij vitemus tricas & inſidias, omnia in eius manus fideliter commendando,

*B. V. Antonomaſticè Advocata omnium Prima cauſa.*

Itaque paſſim Sancti Patres, & ex illis Eccleſia, per excellentiam Virginem Deiparam noſtram appellat Advocatam. Primo, quia eſt *Advocata totius Orbis generalis*, à Chriſto Filio ad hoc conſtituta, vt in ſuam defenſionem & tutelam omnes recipiat, & velut Therebinthus extendat ramos honoris & gratiæ cooperiatque totam terram vmbra protectionis ſuæ; vt omnes confugiant ad eam *in vmbraculum diei ab æſtu, & in abſconſionẽ à turbine & pluuia.*

*Patroni & Aduocati ſingulares quarundam Provinciar. & ciuitatum.*

Quidam è Sanctis patrocinium ſpecialiter impendunt aliquibus Civitatibus vel Provinciis, ideoque & ſpecialius ab eis invocantur. Sic S. Genovefa Pariſienſibus præſto eſt vt Advocata, S Gudula Bruxellenſibus, S. VValdetrudis Montenſibus, S. Aldegondis Maloodienſibus, S. Gertrudis Nivellenſibus & Brabantis, S. Chriſtina mirabilis Hasbanis, S. Lugardis Aquirienſibus & vicinis populis. Sic SS. Lambertus & Hubertus Patroni ſunt & Advocati Leodienſibus Remaclus Arduennatibus, Albanus Namurcenſibus. Norbertus Antuerpienſibus, Rumuldus Mechlinienſibus, Liuinus & Bauo Gandenſibus, Piatus Tornacenſibus, S. Tres Reges. S. Gereon & S. Vrſula cum Sodalibus Colonienſibus &c. At Virgo Deipara non vnam Civitatem aut Patociniam vt Advocata protegit ſed ſuo reſpicit patrocinio Italiam, Galliam, Hiſpaniam, Germaniam, Hungariam, & omnes Catholici Orbis partes, Africam, Europam, Americam, Aſiam, &

quicquid Sol luſtrat. Ipſa non ſolùm vt Stella particularis aliquam Orbis partem reſpicit, ſed inſtar Solis radios beneficentiæ ſuæ ſpargit quoquo verſum, ita vt nemo ſit qui ſe abſcondat à calore eius, niſi qui in tenebris vltrò deliteſcere voluerit, magiſque caliginem dilexerit, quàm lucem.

*Idiota lib de contẽp. Virg.*

*Sub Pallio B. Virginis omnes repræſentantur*

Hæc eſt ratio, cur de ea quidam dixerit è Sanctis: *Cæteri Sancti iure quodam patrocinii pro ſibi ſpecialiter commiſſis plus poſſunt prodeſſe in Curia cæleſti, quàm pro alienis: Beatiſſima Virgo ſicut omniũ eſt Regina, ſic omnium eſt Patrona & Advocata, & ipſi eſt cura de omnibus.* Hæc eadem eſt ratio, cur ſub eius pallio à Pictoribus repræſententur omnis nationis homines, omnis ætas, omnis ſexus, omnis ſtatus, omnis ordo; pauper cum divite, nobilis cum ignobili, ſapiens cum idiota, Religioſus cum ſæculari, Eccleſiaſticus cum plebeio. Vnde illa oratio: *Sancta Maria ſuccurre miſeris, iuua puſillanimes, refove flebiles, ora pro populo, interveni pro clero, intercede pro devoto fæmineo ſexu.* Sic canit Eccleſia ex divo Auguſt. *Pro devoto fæmineo ſexu*, habet, *Pro devoto Monachorum cœtu.* Denique pro concluſione adijcitur: *Sentiant omnes tuum iuuamen quicumq; celebrant tuam ſanctam commemorationem.*

*S. Auguſt ſem 18 de SS. loco poſtremo petit:*

*B. V. Advocata Monialiũ Exempl.*

Certè erga omnem ſexum & ordinem ſe frequẽter Maria Advocatam exhibuit. Quòd ſi de devoto fæmineo ſexu agitur, & de Monialium ſacrato Choro, refert S. Gertrudis à ſe viſam Deiparam in die Feſto Purificatiois, dum caneretur Verſus octavi Reſponſorij, *Ora pro nobis.* Vidit autem eam coram Filio genua flectentem, ſeſeque illi offerentem in Mediatricem & Advocatam Congregationis Monialium, & pro ſingulis preces fundentem Vidit & mox Filium Matrem è terra ſublevantem, & prope Thronum gloriæ ſuæ collocantem cum poteſtate præcipiendi quidquid vellet.

Itaque Choro beatorum ſpirituum, quos Poteſtates ſacræ litteræ vocant mandat, vt illicò Monaſterium circumdent, quo protegantur è variis inſidijs, quas ei parabat hoſtis humani generis. Quod quidem mox præſtiterunt, ſcuta ſcutis coniungentes, & vniverſim Conventum circumvallantes. Declaravitque poſtmodum S. Gertrudi B. Virgo hac firmiſſima tutela protegi omnem Congregationem illorum, qui toto cordis deſiderio optant veram Religionem conſervari vel augeri in aliquo loco, & ad id pro ſuo poſſe laborant.

*Inſinuat. lib. 4. c. 9. Exemplũ aliud,*

Sic & experta eſt eam in omnibus Advocatam efficacem S. Thereſa cum ſuis. Nam cùm ipſa præficeretur in Religione reformata Carmeli vt Prioriſſa, oſtendens quàm egeret directione & dilectione Deiparæ Virginis, eius Imaginem in Sede ſua Priorali in choro collocavit, clavesque domus ei his verbis tradidit: *Tua eſt domus, tua Religio, ô Virgo! Ego nihil ſum, Tuum eſt regere: Tu Prioriſſa.* Hoc verò ita fuit Virgini gratum, vt paulò poſt viderit eam deſcendentem in Sedem illam cum Angelorum multitudine. Dumque decantaretur hæc noſtra Antiphona Parthenia, SALVE REGINA, ibi præſedit Virgo, & poſtmodum ei dixit: *Recte feciſti me hic collocãdo. Ego ſemper adero, ut hic Filio præſentem laudes, quas Religioſæ decantant & domus curam ſum habitura.* Hæc contigere in primo Monaſterio de Auila dicto de Incarnatione, vigilia S. Sebaſtiani.

*Ribera l. 3. c. 1.*

*Advocata Ordinis S. Franciſci.*

Sic etiam exhibuit ſe Advocatam erga Sanctum Franciſcum, & Ordinem eius. Legimus enim in Franciſcanis Annalibus, B. Leoni, qui fuit ex intimis S. Franciſci familiaribus huiuſmodi viſionem obiectam. Erat magna planicies, & in ea ſpecies quædam iudicij mox futuri. Magna aderat hominum multitudo, Angelorum tubæ perſonabant, Deniquæ binæ ſcalæ è cælo ad terram demiſiæ viſebantur, vna candido, altera colore purpureo, Huic purpureæ initebatur ex alto Chriſtus, & Franciſcus infra erat evocans Fratres, vt aſcenderent fidenter, dicens Dominum eos invitare. Cum autem illi aſcenderent, alius de quinto, alius de decimo, alij de ſuperioribus gradibus decidebant. Qua ſuorum clade commotus Franciſcus, eos voce magna admonuit, vt ad ſcalam candidam venirent, nil ibi fore periculi. Huic Mariam incumbentem conſpicantur, quæ blandiſſimè excipiebat ſingulos, vt nullo negotio in cælum cuncti conſcenderent, Hæc nimirum eſt advocatio & protectio Virginis apud Deum, & apud Filium Iudicem pro ſuis clientulis.

*Exempl.*

*Advocata Ordinis S. Dominici. Antonin. in Chronic. 3. p. tit. 23. art.*

De S. Dominico, & eius Ordine, quomodo ei ſemper Advocata fuerit ſingularis, ſatis patebit ex inferiùs dicendis. Hoc ſolùm rememoro, quòd & ipſa Deipara mox à morte viſa ſit cum Chriſto Dominicum deducere in cælum, ſedentem in ſede glorioſa, quæ ſedes in Scala etiam candida collocata erat, trahentibus eam Scalam & Sedem Chriſto & Maria, Angeliſque ſubſequentibus. Vide Hortum Paſtorum, Tract. 2, Lect. 6.

*Advocata Ordinis Servitarum.*

Præclarum quoque eſt, quod legitur de Ordine Servitarum (ſic hi dicti ſunt, quia ſe in ſervos ſpeciales Virgini voverant) quomodò ſe eorum Maria & Advocatam & Matrem exhibuerit B. Philippus Tudertinus, qui inter præcipuos numeratur, cùm in octava Reſurrectionis Dominicæ oraret tempore Miſſæ, & illud in Epiſtola legeretur *Philippe adiunge te ad hunc currum*, ſubito tremore correptus eſt, & in ſpiritu raptus in locum ſpinis, ſilicibus, laqueis, paludibus, ſerpentibus & animalibus venenatis plenum. Rurſus ibi audit, *Philippe adiunge te ad hunc currum* Inſcius quid ſibi hoc vellet, oculos levans, videt currum triumphalẽ, quam trahebant Leo & Ovis candida, circumvolitabatque Columba, & quatuor rotis aureis ſurſum tendebat. In ſuperiori parte præſidebat Dei Mater, tenens manu habitum nigrum, totumque locum pallio ſuo regali circumtegens. Iam totum penè diem in huius rei contemplatione

*Exempl.*

ſuavi

ſuaui peregerat, vix advertens ſe vel pauculum temporis inſumpſiſſe, excitatusque à Sacriſta, domum remiſſus eſt, totus cogitabundus ſuper his quæ viderat. Poſt paucos dies rurſum apparet ei B. Virgo intelligibiliter dicens: *Philippe adiunge te his qui nomine ſeruorum meorum ſunt decorati.* Sat intellexit quid ſibi vellet Mater honorificata: vndè ad Seruitas ſequente die perrexit, & à Superiore Domus intellexit myſticæ huius vocationis ſecretum. Locum ſcilicet illum ſignificare mundum, in quo paludes, retia, animalia venenoſa. Currum deſignare Religionem Seruitarum, cui Maria præſidet. Rotas aureas quatuor ſignare virtutes Cardinales, quibus in cœlum currus voluitur per charitatem deauratus. Leonem quoque neceſſarium eſſe, hoc eſt, fortitudinem, quæ difficultates omnes evincat, ſed Ovi candidæ iunctam, id eſt, humilitati; nec abeſſe debere Columbam circum volitantem, veram ſcilicet ſimplicitatem.

Hunc Ordinem ſe ſuſcepiſſe in ſpeciale patrocinium oſtendit B. V. S. Petro Martyri Ord. Prædicat. ſub initium Ordinis huius Seruitarum. Cùm enim veniſſet Florentiam pugnaturus contra Manichæorum hæreſim tunc invaleſcentem, ſæpè in ſpiritu ei repræſentabatur Mons ſublimis, lumine cinctus, & omnigenis floribus exornatus: ſed inter cæteros flores eminebant ſeptem lilia candidiſſima; quæ quidem Angelica turma colligens, præſentabat Matri Dei, & ipſa magno cum gaudio & congratulatione hæc ſuſcipiebat. Et quod ei admirationem augebat, videbat, quòd lilia iſta in manu Virginis mox in vnum coaleſcerent. Cùm verò huius rei Myſterium ſæpè à Deo peteret, tandem intellexit hæc Lilia non aliud deſignare, quā ſeptem viros Mariæ ſpeciales ſeruos, qui Angelicam ducebant vitam in Monte Senario iuxta Florentiam. Quare cum illis fœdus ſpecialis amicitię ſpiritualis contraxit. Atque ob dictam cauſam Patres illius Ordinis aſſumpſerunt pro Inſignibus Faſciculum Liliorum in campo cæruleo ligatum cum littera S, & M coronata, quaſi inſcriberent SERVI MARIÆ. Videri poteſt Michael Seruita in Annalibus Ordinis ſui.

*Inſigne Patrum Seruitarum.*

Denique, ſe totius Mundi Advocatam oſtendit Maria in illa viſione, qua Filio minitanti eius everſionem & ruinam totalem, occurrit, & Sanctum Dominicum cum Franciſco præſentauit ad impiorum converſionem. Quæ Hiſtoria paſſim nota eſt.

*Secunda cauſa quare B. V. Advocata generalis.*

Secundò, ex eo capite Deipara *Advocata generalis* appellatur, quia intervenit efficaciſſimè in omni cauſa & negotio. Quidam Sanctorum, quaſi limitatum habentes patrocinium, in certis cauſis invocantur. Sic S. Sebaſtianus & S. Rochus invocantur tempore peſtis; S. Nicolaus in tempeſtate & periculo naufragij S. Raphael in peregrinatione periculoſa: in dolore oculorum S. Lucia, in dolore dentium S. Apollonia; in dolore mamillarum S. Agatha & Barbara: & ſic de alijs Sanctis, quibus ſcimus Deum impertiſſe ſingularem gratiam quibuſdam in morbis, aut alijs incommoditatibus, ſiue ſpiritualibus, ſiue corporalibus. Ad Beatiſſimam autem Virginem vota dirigimus in omnibus cauſis & negotijs: ſiue tempore pacis, ſiue belli: ſiue in morbis, ſiue in proſperis, ſiue contra flagella, ſiue pro donis Dei impetrandis, ſiue in vita, ſiue in morte, ſiue pro bonis corporis & fortunæ, ſiue pro bonis ſpiritus & animæ. Scimus enim eam vbique æquè potentem, æquè bonivolentem, & in omnibus Mediatricem & Advocatam clementiſſimam. Hinc illa oratio Eccleſiæ ex S. Bern. deprompta: *Sub tuum præſidium confugimus, Sancta Dei Genitrix, noſtras deprecationes ne deſpicias in neceſſitatibus, ſed à periculis cunctis libera nos ſemper Virgo glorioſa, benedicta Domina noſtra, Filio nos reconcilia, Filio tuo nos repræſenta.* Nempè quod dixit S. Paulus de ſe & Apoſtolis, *Poſuit in nobis verbum reconciliationis,* id de Maria maximè verum eſt, in qua habitauit Verbum æternum, & ex qua Caro factum eſt, vt in ipſo Deus mundum reconciliaret ſibi.

*Tertia cauſa cur dicatur Advocata generalis.*

Tertiò, illud mirum in hac Advocata noſtra, quòd cum ex omni terræ angulo eodem tempore innumera ad eam vota precantium dirigantur, & velut libelli ſupplices porrigantur milleni & milleni ſimul pro diuerſis negotijs, nihilominus nullorum deeſt votis omnes audit, exaudit, expedit, nihil impedita. In quo admirabilis eius elucet & ſapientia & potentia & tranquillitas, diuinum quippiam participans ea in re. Tanta verò ſapientia noſtræ reconciliationis obit negotium, quanta nullus poſſet: vt propterea meritò comparetur ſapientiſſimæ illi mulieri Thecuiti, quæ potuit reconciliare perfidum Abſalonem à Patre fugitiuum, quod nemo potuerat Principum aulæ eius.

*Angeli & alij Sancti interpellant B. Virginem.*

Illud hic poſtremò addendum, vt eminentia interventionis Advocatæ noſtrę magis ac magis eluceſcat, quod & ipſimmet Angeli, & alij Sancti interpellent, quando aliquid a Deo obtinere volunt. Hinc & nos rogamus quandoque Sanctos, vt apud Dei Matrem pro nobis interveniant, ſicque faciliùs quod volumus, impetremus: non ſolemus autem Sanctum aliquem rogare, vt apud alium pro nobis precetur; multò minus B. Virginem, vt apud aliquem Sanctorum interveniat, idque ob ſuam eminentiam & potentiam, & ab omnibus alijs independentiam, ad impetrandum à Deo quicquid voluerit.

---

SEC. VII.

ILLOS TVOS MISERICORDES OCVLOS AD NOS CONVERTE.

*Oculi B. V. pleni gratia & miſericordia.*

OCuli Sponſæ multipliciter commendantur in ſacro amoris Cantico; & hi ſunt oculi Mariæ, gratia & miſericordia pleni, quocumque illos circumferat. Oculi eius ſunt columbini, ſimplices, puri, recti, omne bonū omnibus volentes, omne ma-



UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

ne malum (quo-ad in ſe eſt) ab omnibus amolientes. Pleni ſunt radijs pietatis, vt diſſipent tenebras, & eas amoveant ab illis, ad quos convertuntur. Oculi eius *pulchriores, ſplendidiores, & gratiores ſunt vino*, ſicut & oculi Filij eius. Hi ſunt velut duæ piſcinæ in Heſebon, ſiue velut duo lauacra pro his, qui volunt accedere, quia fluenta gratię producunt his, quos reſpiciunt. O benedicti oculi in Maria, tam interni quam externi, tam corporis quam animi, quibus in cœlum ſuſpiciens, in terram, & in vterum ſuum, attraxit Filium Dei. O benedicti oculi, qui primi cum lachrymis lætitiæ videre meruerunt Deum incarnatum, orientem pro hominum ſalute! O benedicti oculi, qui & poſtmodum lachrymis doloris perfuſi eum viderunt pro ijſdem morientem in cruce! O benedicti oculi, qui ſemper erga miſeros fuerunt inclinati, dum exul ageret in hoc mundo, ſed multò magis nunc dum glorioſa regnat in cœlo. De ea illud dicere poſſumus: *Benedicta es, ô filia, quia priorem miſericordiam poſteriore ſuperaſti.*

*Gen. 49.*
*Oculi eius benedicti.*
*Ruth. 3.*

Dicitur Baſiliſcus oculis venenum fundere, & inficere à ſe viſos: ſic & de ſagis experientia notum eſt, quòd quandoque vel ſolo viſu non ſolum inficiant, ſed etiam interficiant. At Virgo noſtra, cui datum eſt conterere caput ſerpentis, atque ſuper aſpidem & baſiliſcum ambulare, è contra oculis ſuis nil niſi pietatem & miſericordiam, gratiamque fundit in corda ſe intuentium; eiusq; aſpectus diſſipat omne malum, omne venenum. Quapropter S. Amb. tantam aſſerit eius fuiſſe gratiam, dum adhuc in vita ageret, vt vel ſolo aſpectu caſtitatem ad ſe accedentibus conferret. Et ſicut Sanctæ Brigittæ Deipara Virgo revelaſſe dicitur, quòd, quicumque triſtis vultum Filij piè inſpexerat, numquam ſine ſubleuamine receſſerit, idipſum de Maria aſſerimus: quia & de ipſa ſicut & de Filio verum eſt: *Adimplebis me lætitia cum vultu tuo.* Quòd ſi id locum habuit dum ageret in hoc mundo, quantò magis dum glorioſam & beneficam faciem oſtendit è cœlo? Igitur faciem tuam, ô Domina, requiram. *Valdè enim mirabilis es, & facies tua plena eſt gratiarum.* Regi huius ſæculi, ego verò Reginæ cœli. Sicut facies Solis radijs ſuis Orbem illuminat, viuificat, niuem ſoluit & frigus: ita & Mariæ pius in nos aſpectus, vitam, lucem, calorem adſpirat.

*Oculi Baſiliſci venenum fundunt.*
*Cap. 7. de Iuſtit.*
*Oculi B. V. Caſtitatem cõferunt.*
*Pſal. 15.*
*Eſter 3.*

An non igitur meritò inclamamus: *Illos tuos miſericordes oculos ad nos converte?* Quod idem eſt ac ſi diceremus: O Domina & benigna Advocata noſtra, converte ad nos pios illos tuos oculos, quos ad Filium pro ſalute noſtra ex te natum convertiſti, nos ipſi commendans. Converte ad nos tuos illos oculos compaſſione plenos, quos in nuptijs ad Sponſum & Sponſam vino deficiente convertiſti, vt eorum neceſſitati & confuſioni provideres; & tu ſic nobis provide in omnibus. Ad nos converte oculos tuos caſtiſſimos, quibus potes, magis quam olim caſtitatem nobis & puritatem indere. Ad nos converte oculos illos radiantiſſimos, quibus caliginem omnem peccati & tentationis à nobis potes depellere. Ad nos converte oculos illos miſericordes, quos ad Filium propter peccata noſtra vulneratum convertiſti pro nobis deprecando. Denique, illos tuos miſericordes oculos gratiam ſpirantes ad nos converte, quos ad Theophilum, ad Mariam Ægyptiacam, & millenos alios peccatores, cum effectu impetratæ miſericordiæ convertiſti.

Rectè dixit S. Anſelmus, & ad noſtrum propoſitum aptè: *Sicut omnis, ô Beatiſſima, à te averſus, & à te deſpectus, neceſſe eſt vt intereat, ita omnis ad te converſus, & à te reſpectus, impoſſibile eſt vt pereat.* Quid dici poteſt clarius, quid efficacius de oculis Mariæ, plenis gratiæ, plenis miſericordiæ? Meritò autem illos oculos miſericordes ad nos converti petimus peccatores, quia ipſa propter nos effecta eſt Mater Dei & miſericordiæ Mater. Propter peccatores enim deſcendit Filius Dei in eius vterum, eamque ſibi & nobis vt Matrem ſelegit, ſanctificauit, gratiâ & miſericordia repleuit, quam in ſæcula in nos refunderet. Nec alias foret Mater Dei niſi propter peccatores, quia nec aliàs Filius Dei veniſſet niſi ob peccatores.

*Anſel. de excellen. Virg.*

Cæterum etiam in illis verbis, *Illos tuos miſericordes oculos ad nos converte*, intelligi poſſunt benigniſſimi oculi Ieſu Filij eius, quos ad nos Maria inclinat pia apud eum & efficaci interceſſione, vt miſeriam noſtram Filius propitius reſpiciat, & miſericordiam impendat. Hi ſunt oculi, de quibus ſcriptum eſt: *Oculi Domini ſuper timentes eum, protector potentiæ, firmamentum virtutis, tegimen ardoris, & vmbraculum meridiani, deprecatio offenſionis, & adiutorium caſus, exaltans animam & illuminãs oculos, dans ſanitatem, & vitam, & benedictionem.*

*Eccli. 3…*

Hac de re agit S. Gertrudis l. 4. c. 35. *Cùm ipſa per verba illa, Eia ergò Advocata noſtra, benigniſſimam Matrem in die Nativitatis eius in ſui auxilium invocaret, videbatur ipſa Mater inclyta velut funibus quibuſdam validis tracta, inclinari ad eam. Per quod intellexit, quod quoties aliquis ipſam ſuam Advocatã cum devotione nominando invocat, per hoc nomen materna pietas eius in tantum commovetur, vt nullatenus ſe valeat cohibere, quin benignè precibus illius inclinetur. In illo autẽ verbo, Illos tuos miſericordes oculos ad nos converte, Beatiſſima Virgo meritum Filij ſui blandè tangẽs, ipſum verſus terrã inclinauit ad nos, dicẽs: Iſti ſunt miſericordiſſimi oculi mei, quos ad omnes me invocantes ſalubriter poſſum inclinare, vnde & vberrimum fructum conſequuntur ſalutis æternæ. Hinc à Domino hanc percepit eruditionem, vt ad minùs quotidiè Matrem ſuã beatiſſimam invocaret per iſta duo verba: Eia ergò Advocata noſtra. Et per illa: Illos tuos miſericordes oculos; certa quòd ꝑ hoc in hora ſua nouiſſima nõ mediocre ſolatiũ obtineret.*

*S. Gertrud. in l. revel. l. 4. cap. 35.*
*B. V. gaudet nomine Advocatæ.*

Hanc devotionem imitatus Alphonſus Roderiguez, Vir apud Patres Societatis famoſæ pietatis, ſingulis horis Mariæ præſentabat Salutationem Angelicã, *Aue Maria*, & ſimul vnũ *Salue Regina*:

*Devotio Alphonſi Rodriguez ergà Canticũ Salv. Regina.*

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

*gina*: promeruitq́ue hac devotione multis à Virgine cœleſtibus fauoribus affici.

*Devotio S. Franciſci de Paula erga idem Cãticum*

S. Franciſcus de Paula quoties aliquod patraſſet miraculum, ſolebat illud Virgini Advocatæ & Patronæ ſuæ attribuere; ac ne ſibi attribueretur, convocabat omnes ſuos in Templum, & iubebat decantari *Salve Regina*, mira afficiebatur dulcedine, & pietate.

*Erga hãc enim Antiphonam S. Xauerius Catechiſmos ſuos finiebat Cantico Salue Regina.*

Nec hic omittendus S. Franciſcus Xauerius Soc. Ieſu Virgini devotiſſimus, qui propè Pariſios in Monte Martyrum in B. Virginis Templo, ipſo die Aſſumptionis vota nuncuparat, cum S. Ignatio & ſociis, vota, inquam, omnibus renunciandi, & animarum ſaluti ſeſe ex toto addicendi. Ipſe autem affectu ſingulari ferebatur erga hoc Canticum *Salue Regina*, ita vt Catechiſmos ſuos ſemper finiret per iſtud Virgineum Canticum, quo omnes Virginis Beatiſſimæ opem & miſericordiam implorabant eo præeunte.

*Oculi noſtri ad B. V. cõuertendi.*

Concludamus & dicamus, quandoquidem Maria & ſuos & Filij ſui miſericordes oculos ad nos dignetur convertere, ſæpè & nos debere oculos noſtros ad eam convertere cum humilitate & pietate, quandoquidem ipſa ſit à Deo conſtituta miſerorum & pauperum Advocata. De S. Ivone legitur:

*Surius 29. Maij.*

*Pupillos & orphanos egregiè tuebatur, & eorum cauſâ diuerſis in locis adibat iudicia, non ſpe alicuius muneris aut præmij, ſed pietate & iuſtitia permotus; ſuisq; impendijs illorum cauſas defendebat apud Iudices, vt poſſet à Domino audire: Quod vni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis. Vnde factum eſt, vt in illa regione meritò appellatus ſit Aduocatus pauperũ. Orphani, afflicti, calamitoſi homines, eius fouebantur humanitate & patrocinijs: inter diſcordes conciliabat pacem & amicitiam: eos, qui carceribus detinebãtur, hortabatur ad patientiam: & cùm proferenda eſſet ab ipſo in iudicio ſententia, ſine lachrymis id nõ faciebat. In miſericordiæ opera totum ſe impendebat, toto pectore quæ ſunt huius mundi deſpiciens, & cœleſtibus, ſemperq; manſuris bonis inhians.* Ita auctor vitæ eius, qui & de ipſo addit: Alienigenas item, egentes, aut mala affectos valetudine, deformesq́ue ægritudine, non ſecùs ac Fratres ſuos humaniter excepit, ad menſam ſibi aſſiſtere voluit, lectos apparauit, proprijs manibus illorum pedes abluit. O præclarũ pauperum Advocatum & Patronum in terris!

*Matt. 25. S. Ivo Advocatus pauperum.*

Sed huic Maria non cedit in cœlis, hæc omnia officia longè ſublimiori ratione impendens miſeris ad ſe confugientibus, ſiue in vita, ſiue in morte; meritò ob id per excellentiam dicta *Advocata pauperum & miſerorum*. Quomodò ſeſe Advocatam exhibuerit pro Carolo filio S. Brigittæ in morte eius, habetur in Revelationibus ipſius approbatis in Concilio Conſtantienſi, & pleniùs retulimus in Horto Paſtorum tom. 2. tract. 4. lect. 7.

*Exemplis oſtenditur B. Virginem eſſe Advocatam hominum.*

*Antoninus 4. p. tit. 19. c. 2. & 3. p. tit. 22. c. 2.*

Admirabile eſt, quod refert S. Antoninus ſuo æuo contigiſſe, anno 1399. Salvator noſter, qui lubentiùs ſe communicat ſimplicibus & humilibus quàm alijs, apparuit tunc cuidam viro ruſticano pio & ſimplici propè quemdam fontem exiſtenti cum tribus panibus, & iuſſit vt illos in fontem inijceret, in ſignum quòd Mundum hunc ob vitia mox exterminaturus eſſet; qui quidem Mundus in tres principales partes eſt diuiſus, & per tres illos panes ſignificabatur. Apparuit & illicò B. Virgo ad pedes Filij ſeſe abijciens, & ſupplicans vt iuſtam iram ſuam temperet, deq; tempus pœnitentiæ flagitioſis. Tandem cernente & admirante hęc omnia ſimplici & humili hoc viro, evicit animum Filij, & obtinuit vt vnicus tantùm panis mergeretur in aquam. Monuitq́; probum hunc ruſticum, vt accederet Paſtores populi Chriſtiani, vt vbiq; annunciarent pœnitentiam, indicerent ſupplicationes in veſtibus candidis, inclamarent vt vnuſquiſque reconciliaretur Deo. *Qui non vidit effectum ſermonis & monitionis ſimplicis huius Viri, numquam crederet: nos autem noſtris vidimus oculis tunc populorum turmas concurrentes, devotiones publicas, Sacramentorum vſum extraordinarium, ita vt ſimile quid non ſit auditum & viſum. Et quod magis probauit veritatem apparitionis, fuit peſtis, quæ ſequenti anno vniuerſum Orbem corripuit; ita vt exiſtimatum fuerit penè tertiam hominum partem abſumptam fuiſſe.* Certè oculatum ſe teſtem dicit S. Anton. huius extraordinariæ monitionis tunc factæ in cordibus hominum, & concurſus ad pœnitentiam; tanto autem viro & tam ſancto nefas eſt fidem non adhibere. Hæc autem omnia referenda ſunt ad miſericordes oculos Advocatæ noſtræ, quibus tunc Orbem reſpexit, & ſæpiùs reſpicit, licet ingratum.

Idem S. Antonin. cùm alio tempore recenſuiſſet Deus hominum facta, inventis bonis paucis, ſceleratorum immani numero; comprehenſum velut manu totum Orbem inſtar leuiſſimæ paleæ concuſſiſſe viſus eſt, quaſi in baratrum præcipitaturus. Simul autem vox terribilis audita eſt: *Cùm iudicatur, exeat condemnatus.* Quâ voce conterritus qui hæc ſpectabat, quaſi è ſomno emergens clamat ad B. Virginem: SANCTA MARIA SVCCVRRE MISERIS. Hanc igitur vidit impetrare à Filio dilationem tam grauis ſententiæ, donec Concionatores quos illa per Orbem dimiſerat, ſuum officium expleſſent. His ſimilia ſæpiùs contigerunt, nec oculos aperimus.

SEC. VIII.

## ET IESVM BENEDICTVM FRVCTVM VENTRIS TVI.

SAnctus Ioannes Baptiſta adhuc vtero *Matris* ſuæ Elizabethæ clauſus, per os Matris in laudem Ieſu & Mariæ, & per Spiritum Sanctum, ſublimi voce pronunciauit: *Benedictus fructus ventris tui.* Exultauitq́ue tunc Ioannes & Elizabetha in ſpiritu, exultauit & Mariæ ſpiritus in Deo ſalutari ſuo, ſiue in Ieſu fructu ſuo. Exinde frequenter hæc verba rememorat Eccleſia, tum in Salutatione, quam vocamus Angelicam, tum in hac ſancta Antiphona, vt renouet gaudium menti Virginis tunc illa-

*IESVS Fructus benedictus ventris Mariæ.*

illapſum, & vt eiuſdem fiat gaudij particeps, tam in præſenti, quam in futuro. Ieſus ergò eſt fructus ille benedictus, qui ex Virgine, quaſi arbore, naſcitur ſine illius læſione, aut corruptione; qui & ipſam arborem exornat ſuo colore, odore, decore. Hic eſt ille fructus vitæ, quem Maria nobis dedit, eſtque oppoſitus alteri fructui mortis, quem Eua nobis protulit. Hic eſt ille fructus, quem comedentes, reddimur ſicut Dij: quia qui illo veſcuntur, in ipſum transformantur, & diuinæ fiunt conſortes naturæ. Hic eſt ille fructus in florido gratiæ vere, Spiritu ſancto flante, & rore cœleſti fluente productus in gloriam cœli, & benedictionem vniuerſæ terræ. Hic eſt ille fructus, de quo prædixerunt Prophetæ; quem & in ſpiritu exultantes præviderunt.
*Iſa. 4.* De illo Iſaias: *In illa die erit germen Domini in magnificentia, & fructus terræ ſublimis.* Fructus ſcilicet terræ virgineæ, cum fœcunditate germinantis, pretioſum cœlo & terræ germen, futurus erat in magnificentia & ſublimitate, Angelis & hominibus admirandus. De illo quoque fructu dixerat Dauidi Dominus: *De fructu ventris tui ponam ſuper ſedem tuam.* Vbi notat S. Auguſt. dici fructum ventris, ſiue vteri deſcendentis à Dauide, non autem femorum aut lumborum viri, vti alibi ſolet loqui Scriptura; quia ſcilicet è Virgineo vtero ſine viro fructus ille oriundus erat, quaſi è terra intemerata & illibata, nullo exculta labore, nullo defoſſa ſarculo, nullo ſulcata vomere, ſed ſolùm perfuſa cœleſti imbre. His itaque verbis: *Et Ieſum benedictum fructum ventris tui*, repetimus & renouamus Mariæ nobiſque memoriam Incarnationis Filij Dei; per quam ipſa acquiſiuit ſupremam dignitatem Matris Dei; nos verò conſecuti ſumus omne bonum, omnemque benedictionem. Sicque repetimus & renouamus memoriam illius lætitiæ, quâ Maria & Orbis totus affectus fuit ob admirabile illud
*1. Timo 3.* Myſterium, de quo Apoſtolus: *Magnum eſt pietatis Sacramentum, quod manifeſtatũ eſt in carne, iuſtificatum in ſpiritu, apparuit Angelis, prædicatum eſt gentibus, creditum eſt in mundo, aſſumptum eſt in gloria.*

*B. Virgo maximè delectatur verbis illis benedictus fructus ventris tui.*

Quàm grata ſint hæc verba Virgini, *Et Ieſum benedictum fructum ventris tui*, declarat Tho. Cantiprato, ſic dicens: *A me quæſitum eſt, quid in Salute Angelica Matrem Chriſti latiùs audire iudicarem? Reſpondi, lætantur audiſſe gratia ſe plenam, ſecum Dominum Maieſtatis, ſe pro omnibus mulieribus benedictam ſed in eo magis exultaſſe, cùm audiuit fructum ventris ſui ſingulariter benedici. Quid mirum? Ipſa dilecta, & ad eam conuerſio eius. Quoties ergò Chriſtum benedictum fructum uteri virginalis pronunciamus, toties Mariã gaudio ſpeciali afficiamus.*

*Chriſtus quomodo fructus benedictus.*

Illud verò hîc obſeruandum, quòd non ſine myſterio Fructus hic dicitur *benedictus* ſimpliciter & ſine limitatione. Nempè ipſe ſolus abſolutè benedictus pronunciatur, quia per ipſum omnes gentes benedicendæ erant, iuxta promiſſum factum Abrahæ: & quia omnis benedictio ab ipſo deriuata eſt in cœlo & in terra. Nam de plenitudine eius omnes acceperunt: quinimò & ipſa Maria in ipſo, & ab ipſo, & propter ipſum eſt benedicta. Denique, ſolus hic fructus ventris benedictus, quia reliqui omnes ex concupiſcentia nati ſub maledictione naſcuntur, natura filij iræ; à qua maledictione non liberantur, niſi per fructum Mariæ.

Ipſe eſt ille *Benedictus, qui venit in nomine Domini*, vt ei inclamârunt voce triumphali, *& qui præibant, & qui ſequebantur.* Qui præibant, deſignabant antiquæ legis Patres, Patriarchas, & Prophetas, cum cæteris iuſtis & fidelibus. Qui ſequebantur, deſignant Apoſtolos, Martyres, Confeſſores, Virgines, omneſque legis nouæ Fideles, qui vnanimi voce conſonant, & in finem vſque ſæculi perſonabunt: *Benedictus qui venit in nomine Domini*: Benedictus, ô Maria, fructus ventris tui: Tu nobis Ieſum benedictum fructum ventris tui poſt hoc exilium oſtende. O vox ſæpius repetenda, cum intimo animi ſenſu & pietate! O pia praxis benedicendi Ieſum, & piam intentionem ſuam coniungendi cum omnibus benedictionibus ei datis, ſiue in cœlo, ſiue in terra; ſiue ab Angelis, ſiue ab hominibus; ſiue à juſtis, ſiue à peccatoribus ad eum tamquam Saluatorem revertentibus: cum omnibus, inquam, benedictionibus ei in tempore vel æternitate datis vel dandis, ſiue a Patre æterno & Spiritu ſancto, ſiue à Matre & Nutritio ſuo Ioſepho, ſiue ab Apoſtolis & Martyribus, atque ab omni Sanctorum Ordine; immò ab omnibus creaturis, quas reſtaurare, & in ſe recapitulare venit per Myſterium Incarnationis.

*Math. 11. Chriſtus quomodo Benedictus in nomine Domini.*

Meritò per excellentiam *Benedictus* dicitur, qui à Deo omni benedictione repletus eſt, vt ipſe ſit Fons benedictionis, illam in alios refundens, ſicut dixit Apoſtolus: *Benedictus Deus, & Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui benedixit nos in omni benedictione ſpirituali in cœleſtibus in Chriſto.*

*Eph. 1. Chriſtus quomodo Benedictus per Excellentiam.*

Ipſe eſt benedictus ab Angelis iam ab initio ſæculi, dum eum *laudabant Aſtra matutina, & iubilabant omnes Filij Dei*: dumque introducitur tamquam primogenitus in Orbem terrarum, & per præceptum à Patre datur: *Adorent eum omnes Angeli eius.* Et ſicut ab æuo & in tempore, ſic etiam benedicent & adorabunt tota æternitate.

*Eph. 1. Iob. 38. Heb. 1.*

Ipſe eſt benedictus à Patriarchis & Prophetis ab exordio mundi naſcentis, quia omnis benedictio tunc data, ad ipſum in ſpiritu referebatur, & propter ipſum dabatur. Siue enim ab Abraham fuerit benedictus Iſaac, ſiue Iacob ab Iſaaco, ſiue ab ipſo Iacob filij eius, ſiue à Moyſe & alijs Prophetis nonnullæ tribus Iſraeliticæ: omnis benedictio IESVM benedictum fructum Mariæ reſpiciebat, qui ab illis oriundus erat benedictionis filius, immò fons & auctor.

Ipſe eſt benedictus non ſolùm ab Iſraelitis, ſed etiam à gentibus, quia & ipſe erat expectatio gentium, & de illo pronuntiatum fuerat: *Ipſum gen-* *Iſa. 11.*

tes

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

*tes deprecabuntur* Hinc mox vbi venit, adoratur & benedicitur cum muneribus à Regibus Gentilibus, qui à Paſtoribus Iudæis fuerat adoratus. Immò benedicitur tunc ab omni ætate, ordine, ſexu Nam benedixit eum Simeon pro ſenioribus, Ioannes pro infantibus, Elizabeth pro maritis, Anna pro viduis, ſicut & Zacharias antea pro Sacerdotibus, dum ſonora voce inclamat? *Benedictus Dominus Deus Iſrael, quia viſitauit & fecit redemptionem plebis ſuæ.* An non hi omnes inclamare tunc cēſebantur Mariæ: Ieſū benedictum fructum ventris tui nobis non ſolum nunc, ſed & poſt hoc exilium oſtende?

Certe & modo & poſt hoc exilium, hunc fructum Mariæ benedictum nobis exhiberi, & oſtendi meritò petimus, quia & pios reficit in tempore peregrinationis per contemplationem Fidei, & electos in die æternitatis per intuitum faciei In illius enim & viſione & fruitione tota Electorum conſiſtit beatitudo, in eius affectuoſa per fidem conſideratione tota viatorum conſolatio.

Dicebat olim Philippus Chriſto. *Domine, oſtende nobis Patrem, & ſufficit nobis:* Dicere nos poſſumus Mariæ: *O Domina, oſtende nobis Filium &, ſufficit nobis.* Electis enim illum in gloria oſtendet, tā ſecundum divinitatem quàm ſecundum humanitatem glorificatum, & inde haurient perenne & indicibile gaudium, pleno corde, plena mēte, pleno toto homine, ita vt nihil vlteriùs poſſint deſiderare. Primaria namque & eſſentialis beatitudo noſtra conſiſtit in viſione clara divinitatis eius, ex qua perfectiſſimus amor oritur, & fruitio conſummata. Secundaria autem in viſione & contemplatione faciei & humanitatis eius, non ſolùm per oculum ſpiritualem intellectus, ſed etiam per oculum corporalem poſt reſurrectionem corporis, quando illud perfectè adimplebitur: *Tibi dixit cor*
Pſal. 26. *meum, exquiſiuit te facies mea, faciem tuam Domine requiram.* Et illud votum Pſaltis: *Sitiuit anima mea*
Pſal. 41. *ad Deum fontem viuum, quando veniam & apparebo ante faciem Dei mei.* Quaſi dicat: Quando dies ille tot votis optatus veniet, cùm intuebor Regem in decore ſuo? Quandonam videbo Solem illum, qui ante omnem lucem lucet in montibus æternitatis? Quandonam inſpiciam & audiam Verbum bonum, quod Cor Patris ab æterno eructavit, Verbum æternum, quod erat à principio apud Deum, & ipſum erat Deus? Quando licebit ſacros pedes pro me perforatos oſculari, os aperto lateri admovere, ad pedes eius in æternum ſedere? Certè omnium verè Fidelium hæc vox eſt, & votum ardens voti autem deſiderij ſui effectum per Mariam conſecuturi ſunt, Filium ſuum poſt hoc exilium ſuis clientulis manifeſtantem.

Nempe tunc Maria oſtendit illis Filij ſui benedictum illud caput, quod pro nobis ſpinis coronatum fuit, vt diademate ſpeciei & corona gloriæ coronemur: Capillosque illos benedictos guttis noctium & purpureo ſanguinis rore aſperſos, vt expiarent frigidas & tenebroſas peccatorum noſtrorum guttas. Tunc eis oſtendet benedictam illam Filij ſui faciem aureo divinitatis colore rutilantem, cuius intuitu & Angeli & Electi reficiuntur, quam exquirunt & deprecantur omnes divites plebis: Oculosque illos benedictos, qui ſolo ſuo intuitu, & radijs quibuſdam divinis emiſſis, attrahebant ad ſe peccatores non minùs quam ferrum magnes. Tunc oſtendet illis os illud aureum, & labia pretioſa, in quibus diffuſa fuit gratia & benedictio propter nos, de quibus ſcriptum eſt: *Mel* Cantic. 4
*& lac ſub lingua eius fauus diſtillans labia eius.* Et iterum. *Sicut vitta coccinea labia tua, & eloquium tuum dulce* Quia ſcilicet attrahebat labijs ſuis, & decoro ac efficaci ſermone animas peccatrices, quaſi eas colligans ſibi filo coccineo. Tunc oſtendet eis benedictas manus, quæ in cunis faſciatæ fuerunt, quæ tot miracula tactu ſuo operata ſunt, quæ in cruce extenſæ pretium noſtræ redemptionis numerârunt, & clavis confixæ diſtillaverunt myrrham probatiſſimam & pretioſiſſiam noſtri gratiâ. Tunc oſtendet illis benedictos illos Filij ſui humeros, qui ab ortu ipſius & cunis vſque ad extremum ſpiritum, portarunt Crucem, principatus futuri ſignum, portaruntque in illa onus peccatorum noſtrorum, ita vt in illis legere liceat cū Moyſe in foramine petræ: *Domine Deus, miſerator & mi* Exod. 34
*ſericors, patiens, & multæ miſericordiæ, & verax in millia his qui diligunt te.* Tunc oſtendet illis benedicta illa crura & genua tot noctibus in oratione pro nobis flexa: Pedeſque illos benedictos, ad peccatorum converſionem tot itineribus fatigatos, ac denique pro ſalute noſtra in Cruce confixos. Tunc oſtendet benedictum Filij ſui latus perforatum, & cor illud quod noſtri amore tantopere flagravit, vt flammam non potuerit continere, niſi illa lateris apertione erumperet, & nobis illam manifeſtaret, ſicque etiam inflammaret. Meritò igitur propter hæc omnia ad eam clamamus: *Ieſum benedictum fructum ventris tui nobis poſt hoc exilium oſtende.* In illo nimirum oſtendet nobis omne bonum. Sic verum eſt illud: *O Domina, oſtende nobis Filium, & ſufficit nobis.*

## DE HIS QVIBVS MARIA FILIVM OSTENDIT IN HOC EXILIO.

MVltis oſtendit Filium ſuum, dum adhuc ipſa in terris ageret, & maximè dum adhuc tenellus ipſe foret. Multi enim ex tunc qui exſpectabant conſolationem Iſrael, poterant dicere cum Gentilibus accedentibus ad diſcipulos: *Cupimus videre Ieſum.* Illum ergo oſtendit cum benedictione & conſolatione magna Paſtoribus, Magis, Simeoni & Annæ, ac alijs iuſtis in Templo, & nonnullis pijs in Ægypto. Hinc Simeon in perſona iuſtorum & omnium qui cupiebāt videre Ieſum, cecinisse cenſetur illud: *Quia viderunt oculi mei ſalu-* Luc. 2.
*tare tuū, quod paraſti ante faciē omnium populorum*

*Quomodo Maria nobis oſtēdit Filium ſuum.*



UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

*Lumen ad revelationem gentium, & gloriam plebis tuæ Iſrael.*

Plurimis quoque ſibi devotis apparuit è cælo, eis Filium ſuum adhuc in vita mortali agentibus oſtendens, & in vlnas eorum deponens ad ipſorũ ſolatium & gaudium, ipſis idipſum piè poſtulantibus, & velut illud Canticorum repetentibus: *Quis mihi det te fratrem meum ſugentem vbera Matris meæ, vt inveniam te foris, & deoſculer te, & iam nemo me deſpiciat.*

*Cant. c. 8.*

*B. V. Ieſum ſuũ oſtendit B. Felici Capucino*

Præclarum eſt quod de B. Felice à Cantalicia Capucino refertur. Quodam die dum meditaretur immenſum amorem, quo Deus homo factus habitavit in nobis, tanto exarſit amoris incendio; vt illud amplius ferre non valens, ad Altare primarium accurrerit, & obnixis precibus ſibi à Deipara Filium ſuum dari poſtularit ad mitigandum mentis ardorem & deſiderium. Nec fruſtraneæ fuerunt preces: apparuit enim Beata Virgo, & tradidit ei puerum Ieſum. Quantam autem ſenſerit vim conſolationum cæleſtium quis enarret? Illud conſtat, ipſum præ amoris tunc dulcedine vberrime fleviſſe. Quia etiam his mire afficiebatur verbis, *Et Ieſum benedictum fructũ ventris tui nobis poſt hoc exilium oſtende*, apparuit ruiſus ei B. Virgo ſub finem vitæ, & ipſum ad gloriam & viſionem Filij ſui invitavit. Nempe deditiſſimus ſemper Mariæ fuerat, vigilias Feſtorum eius aqua & pæne ieiunans, Quadrageſimam quoque in honorem ipſius ab octava Apoſtolorum Petri & Pauli, vſque ad vigiliam Aſſumptionis ieiunio ſpeciali obſervans; Feſta verò eius ſingulari devotionis affectu celebrans Sic in omnibus imitator fuit Patris ſui Franciſci, qui ob ſimilem devotionem Mariæ gratiſſimus, in Eccleſia S. Mariæ Angelorum, in quo primitus ſpiritum perfectionis conceperat, animam Deo & Deiparæ nudus in terra reddere voluit; vt finiens hoc exilium, ab ipſa auxilium repeteret. Et ibidem optauit cor ſuum condi, quod Angelicis manibus fictum, & in hunc diem in quodam ibi Sacello creditur aſſervari.

*Cor S. S. Franciſci vbi nam aſſeruetur.*

*B. Conrardo apparet B. V cum filio.*

Ex Ordine quoque S. Franciſci memorabilis eſt B. Contardus, cui in die Purificationis apparuit Deipara geſtans in ſinu Filium, tanto circumfuſa lumine, vt noctem verteret in diem. Orationis cauſâ ſe in ſyluam eo die abdiderat, vbi magno fervore Deiparæ ſupplicabat, vt à Filio impetraret eiuſdem gaudij ſenſum, quo perfuſus fuerat Simeon, dum illum vlnis complecteretur Poſt longam & perſeverantem orationem apparuit illa cum Filio mirâ claritate circumdata, & Filium ei in manus tradidit, quem ſummâ receptum reverentiâ appreſſit pectori, & divinis eius labijs incredibili animi voluptate oſcula impreſſit, ſpiritumque ab eo hauſit.

*item B. Angeliæ de Fulginio in eius vita cap. 45.*

Idem in eodem Purificationis Feſto contigit B. Angeliæ de Fulgino. Cum eſſem, inquit, manè in Eccleſia FF. Minorum, audiui vocem: *Hæc eſt hora, qua Virgo venit cum Filio in Templum.* Hæc audiẽs magno cum amore vidi Dominam intrantem, & obviavit illi anima mea magna cum reverentia. Cumque vererer accedere, extendit ad me Filium, dicẽs *O dilectrix Filij mei, accipe illum inter brachia.* Sic emanſit in brachijs meis nudus, & cum direxiſſet in me oculos, mirum ſenſi amorem, ex illis emanante ſplendore & igne, lætitiam inſpirante, Mox apparuit in illo maieſtas ineffabilis, & dixit mihi: *Qui non viderit me parvum, non videbit me magnum*, Rurſusque addidit: *Ego veni ad te, & obtuli me tibi, virtute offeras mihi.*

*B. Lucia Narnienſis ex Ordine Dominicanor.*

Illud etiam iucundum eſt eadem de re quod legitur de B. Lucia Narnienſi ex familia S. Dominici. Hæc cum quinque tantùm annos nata ad Templum proficiſceretur, ac fixis oculis certam Deiparæ imaginem intueretur, audivit ab ea: *Vis tradam tibi Filiolum meum*; Illa annuẽte, ex ſinu Matris acceptum domum tulit, mirantibus vniverſis, quos offendebat, tam teneræ ætatis puellam, tam ſpecioſum geſtare infantem, ferentibuſque ne ei è ſinu in terram laberetur. Verum ipſe ſe ſuſtinebat, qui Orbem pugillo continet. Domum vbi attigit, ſupra lectum illum collocat, treſque dies cum ea permanſit. Quo toto tempore vere imago illa caruit Chriſti Domini effigie. Exacto vero triduo, Chriſtus inviſibili quadam ratione Matri ſuæ ſe reddidit. Eamdem vero ſeptennem Chriſtus Dominus ſibi deſpondit coram Virgine Maria & alijs Sanctis. Vide alterum non abſimile exemplum à nobis relatum in Rationali in Feſto Circumciſ. Lect. 5 part 2.

*Kalendar. Virgo Nov. 15.*

*B. Oſanna Mantuana.*

His junge B. Oſannam Mantuanam ex Ordine etiam Dominicano, quæ cum die quodam Purificationis Euchariſtiam ſumpſiſſet, in ſpiritu rapta fuit Ieroſolymam in Templum, vbi clare vidit Mariam vlnis Chriſtum ferentem, & Simeoni offerentem, ab ipſoque receptum, Oſannæ offerebat, & invitabat ad amplexandum. Cumque ipſa ex humilitate id non auderet, ſed perſiſteret flexis genibus Dei miſericordiam pro ſe & toto Orbe implorare, coegit eam Deipara Filium ſuum ſinu excipere, Quod factum eſt ab eâ maximâ cum reverentâ, additis precibus, quibus certa quædam ab eo flagitabat, nec inanes fuere preces. De ea etiam legitur, quòd ipſe Chriſtus, & eius Mater Maria, cui erat addictiſſima, eam ſcribere & legere docuerint in puellaribus annis, quodque anno ætatis decimo-octavo Chriſtus cum Deipara, & Regio Propheta ei apparuerit, & annulo in eius digitos inſerto, eam deſponſarit.

*B. Stanislao Koſtka.*

Nec hic prætereundum de B. Stanislao Koſtka, cui ægrotanti apparuit Sanctiſſima Deipara, & Filium quem ſinu guſtavit, in eius lectulo collocavit: ex qua re incredibilem animi percepit voluptatem, & ſanitati reſtitutus eſt. Prius autem Sacram Euchariſtiam perceperat ab Angelo, præſente etiam S. Barbara.

*B. Maria Razzia.*

De B. Maria Razzia Ord. S. Dominici etiam legimus, in Feſto Venerabilis Sacramenti Deiparam

*Ordinis S. Dominici.*

ei apparuiſſe cum Diuis Catharina & Cæcilia. Verita autem ne dæmon ſibi ſuis hîc præſtigijs illuderet, dicebat: *Vade Satana, nil mihi tecum commune, ſi quid hic tuum, diſcede miſer.* Hæc dicens ſignabat ſe ſigno Crucis. At Deipara omnem metum abſterſit, & ei Filium ſuum oſtendens, dicebat: *Contemplare Natum hunc meum, quàm ſpecioſus eſt.* At illa: *Non mereor, ô Domina, tam grato frui obiecto.* Tum Deipara eadem repetijt verba, & addidit: *Quas mecum cernis Virgines, Catharina ſunt & Cæcilia, à quibus noueris te multùm diligi.* Ad quę verba tota in lachrymas ſoluta, gratias maximas peregit pro tantis beneficijs & fauoribus cœleſtibus.

*B. Agneti de Monte Politiano*

Claudat agmen B. Agnes de Monte Politiano, celebris ob pietatem erga Virginem. Hæc nocte præviâ feſto Aſſumptionis eam rogabat feruentiſſimè, vt ei Filium oſtendere dignaretur. Mox ipſa luce circumcincta apparuit, & Filium pendentem ab vbere, in arrham dilectionis tradidit amplexandum, maxima cum conſolatione. Cum autem reddidiſſet poſtmodum Matri, impreſſo pueri genis oſculo amoris, dependentem à paruuli collo crucem abſtulit, quæ ſingulis annis primâ Maij publicè oſtenditur, cum corpore huius Virginis. Vide Calendarium Mariæ 1. Maij. Illud etiam memoria dignum, quòd cùm maximè deſideraret frui Reliquijs Christi, ab Angelis delatum ſit pauxillum terræ irrigatæ Sanguine à Chriſto Cruci affixo, & particula paropſidis, in qua Chriſtum puerum ſolebat abluere Deipara

*Amor Deiparæ erga ſuos.*

Itaque Deipara Virgo multis ſuis pijs ſeruis, vel ancillis Filium ſuum oſtendit viſibiliter in hoc exilio, vt eorum probaret vel manifeſtaret amorem, vel ſolaretur dolorem inter huius exilij ærumnas, & acueret fiduciam. Idque aliquibus contigit in teneris adhuc annis, vt cum puero Ieſu diſſuauiarentur feliciter: alijs in matura & plena ætate, vt occurrerent ei in virum perfectum, & aſſequerentur menſuram ætatis plenitudinis Chriſti, in perfectione virtutum & donorum gratiæ. Pleriſque autem contigit idipſum in fine vitæ, & huius ærumnoſi exilij termino, è quo quidem exilio eos feliciter educebat Virgo cum Filio, vt eius viſione bearentur. Et hoc eſt quod hîc poſtulamus: *Et Ieſum benedictum nobis poſt hoc exilium oſtende.*

*Franciſcus Retza Dominicanus mirè addictus cultui B. Virginis & Cantico Salue Regina.*

Memorabile hîc eſt, quod de Franciſco Retza Viro vtique ſanctitate celebri, Doctoreque Ord. S. Dominici eximio, refert Ioannes Nider. Hic mirè affectus fuit erga Virginem, ita vt quicquid ſtipendiorum tamquam Doctor & Rector Vniuerſitatis Viennenſis à Duce Auſtriæ percipiebat, impenderet in reparationem Templorum Deiparæ dicatorum. Quouis die Sabbathi, licet haberet aliud thema lectionis ordinariæ, ferè tamen mediam partem texebat in commemoratione laudum Dei Genitricis, idque non ſine magna lachrymarum vi. Duodecim continuis annis, quibus librum Salomonis ad plebem explicauerat, ſemper repetebat illud *primi & puriſſimi fructus eius*, & totus in laudibus Deiparæ explicandis erat. Sed hoc maximè ad propoſitum noſtrum ſpectat, quòd ex ingenti in Mariam pietate tria volumina magna ſuper *Salue Regina* in eius laudem compoſuerit. Atque cùm iam octoginta quatuor annos haberet, in ipſo die Natiuitatis Mariæ totus animo liquefactus & lætitia perfuſus concinens Canticum *Salue Regina*, quaſi cigneæam vocem, expirauit: & Maria ei Ieſum benedictum poſt hoc exilium oſtendit, prout amore filiali ipſe poſcebat moriens per hanc poſtremam Salutationem Matris miſericordiæ.

Nec mirum quòd ita addictus fuerit ſingulari & continua pietate vſque ad extremum ſpiritum huic Cantico Mariano. Sciebat enim & ſæpè rememorabat, quot beneficia, quotque cœleſtes fauores Sancti Dominici Ordo recepiſſet à Deipara per piam illam Antiphonam quotidiè cum celebri populi concurſu in Veſpertinis Laudibus ſolent intonare, Virginis protectioni tamquam filij ab ea geniti ſe commendantes. Nam ſæpè viſa eſt Deipara eo tempore in medio eorum canentium conſiſtere, non ſine ſpecialibus ſignis benevolentiæ.

*Senenſis in Chronico ex Antonino.*

Refert Antonius Senenſis ex Antonino Archiep. Florentino, quodam die dum hanc Antiphonam decantarent, & ad illa verba pertigiſſent, *Et Ieſum benedictum fructum ventris tui nobis poſt hoc exilium oſtende*, a pia & honorata Matrona, Sorore Clementis quarti Pontificis, viſam fuiſſe cœli Reginam ſupereleuatam, offerentem eis Filium ſuum; & quidem ſingulis, quaſi in arrham promiſſionis, qua ſignificabat, ſi in ſancta vocatione perſeuerarent, ſe ipſis Filium in æternitatis cætu oſtenſurum, vt illo fruantur iugi amore, viſione, & cantu. Cùm etiam ad finem Antiphonæ dicerent, *ô Dulcis Virgo Maria*, vidit eam eos reſalutantem, & ſe placido vultu inclinantem, & recedentibus vnâ illis de loco eam etiam in cœlum remigrantem. Audi aliud non abſimile.

*Calend. Virg. 2. Febr.*

B. Iordanus Ordinis Generalis in die Purificationis, cùm caneretur illud: *Ecce advenit Dominator Dominus*, vidit Pariſijs Beatiſſimam Virginem procedentem cum Filio ad maiorem Aram, in qua erat thronus, in eoq; reſedit cum Filio, Fratres ſuauiter intuens. Cùm verò canerent *Gloria Patri* & ſeſe pro more inclinarent, ipſa Filij dextera apprehenſa eos cum toto Choro ſignabat.

*Ciſtercienſium deuotio erga B. V. & Canticum Salue Regina. Exemplũ.*

Sicut Ordo Dominicanus, ſic & Ciſtercienſis huic Cantico maximè fuit addictus vt ſuprà diximus, & per illud Virginis Deiparæ fauores ſpeciales ſæpè eſt expertus. Iſtud ſanè admirabile eſt, quod contigiſſe refert Thomas Cantipratanus, dũ quondam in Cantico iſto Mariano hæc verba decantarent, *Et Ieſum benedictum fructum ventris tui nobis poſt hoc exilium oſtende.* Ipſius verbis factũ refero. In Ordine, inquit, Ciſtercienſiglorioſæ Virgini ſpecialiter dedito, multa facta miracula referun-

[*B.V. in periculis ſubuenit.*] tur, quæ nonnulli ex illis per ſcripta digna memoriæ tradiderunt. Vnum quod noſtro contigit tempore referamus. Fonij Clauſtrum eſt illius Ordinis nobiliſſimum. Contigit autem vt obnubilatione cœlum aëris tempeſtatem minaretur, quæ & facta eſt. Sparſis ergò coruſcationibus vndequaque per aëra, ſequuntur & fulgura. Quæ vt viderunt Monachi, certatim ad Eccleſiam fugerunt. Vbi Conventu congregato, vident Patriæ, & ſpecialiter Clauſtro periculum imminere. Inchoant igitur altiſſimis vocibus Canticum *Salue Regina.* Et cùm veniſſent ad illum locum Antiphonæ, *Eia ergò Aduocata noſtra, illos tuos miſericordes oculos ad nos converte;* ſubitò vehementiſſimus ventus ab Occidente veniens, cum horribili fragore tonitrui feneſtras Eccleſiæ vitreas ſuo impetu totaliter diſſipauit, ita vt Eccleſia firmiſſimè fundata corruere videretur. Nec mora vbi ſacer Conventus in tanto diſcrimine perterritus flexis genibus illa verba Antiphonæ cantando proſecutus eſt, *Et Ieſum benedictum fructum ventris tui nobis poſt hoc exilium oſtende;* ſtatim Imago Crucifixi, quæ media ſtabat inter Chorum Monachorum, & Chorum Converſorum Fratrum, converſa ad Orientem, verſus Chorum Monachorum reflexa eſt. Et, vt mihi à Monachis dictum eſt, [*Thom. Cantip. l. 2, Apum cap. 29. parag. 22.*] contra naturam picturæ, oculos aperuit, & mox omnis timor, ſublata tempeſtate, ceſſauit. Addit & ipſe: *Quis in tanto miraculo non obſtupeſcat? Quis non videat & plenè collaudet tantam miſericordiæ Patronam & Matrem, quæ ſpeciali priuilegio miſeros Filio reconciliare poteſt, quos noxa præſcripſerat, vt benedictum fructum ventris ſui Ieſum illis in ſalutem oſtendat, qui venturus eſt reprobis in condemnationem?*

[*Exẽplum aliud.*] Refert idem Cantipratanus aliud exemplum à propoſito etiam noſtro non alienum contigiſſe in eodem Ordine Ciſtercienſi. *Quidam illum Ordinem ingreſſus diu ſanctè vixerat, tandem tamen diabolo tentante in peccatum cecidit, & multis per hoc occaſionem ſcandali dedit. Pro quo, vt in Ordine illo* [*Maria pœnitentibus ſuccurrit.*] *conſuetum eſt, grauiſſimè tribulatus, ad cor tandem cum amariſſima pœnitentia redijt, & ſe ad glorioſã Chriſti Matrem totaliter in lachrymis & precibus convertit. In magno igitur luctu tempore non modico poſitus, tandem die quodam orans raptus in exceſſum mentis glorioſam Virginem vidit, & in brachio eius quaſi lactantem puerulum, ſuper omnem pulchritudinem ſpecioſam. Cumque videret pro ſe Filio Matrẽ ſupplicantem, inſtabat ipſe à peccato & tribulationibus liberari, & priori gratiæ & vitæ reſtitui. Sed cùm puer quaſi renitens vultum averteret, & Mater è contrà puerum in alteram brachij partem transferret, vt commodiùs vultui eius vultum ſuæ benignitatis ingereret; & ille iterum vultum averteret, & averſum Mater frequentiùs regyraret: tandem poſt miram & piam precum inſtantiam evicit Mater Filium, vt vultum ſuum ſerenum ei oſtenderet, & peccatum illi ad indulgentiam, & ſtatum prioris vitæ ad gratiam condonaret. Quid mirum? Mariæ enim* [*Iob 9.*] *ſpeciali priuilegio conceſſum eſt, vt ſecundùm Prophetam poſſit vtrumque arguere, & manum ponere in ambobus.* Quo quidem exemplo pateſcit Mariam, quantum in ſe eſt, nobis velle oſtendere Filium ſuum benedictum; ſive in hoc exilio ad conſolationem pro remiſſione peccatorum; ſive poſt hoc exilium ad gloriæ fruitionem. [*L. 2. c. 2.*]

Illud etiam hîc non eſt ſilentio obvoluendum, [*Canticũ Salue Regina prodeſt puerperis. Exẽplum.*] quòd hæc Antiphona *Salue Regina* plurimum virtutis habuiſſe legatur pro pueris ad felicẽ partum, & maximè illa verba: *Et Ieſum benedictum fructum ventris tui,* cum fide pronuntiata. Quocirca legitur in vita S. Franciſci, quòd cùm mulier de partibus Aretinis eum iam recens defunctum invocaret pro anxietate & doloribus partus, quibus cruciabatur, apparuit ei S. Franciſcus, & rogauit, *an non ſciret* [*Bonauent. in vit. Franc.*] *Canticum illud Virgineum, Salue Regina?* Cumq; ſe ſcire reſpondiſſet, & illud recitaret; mox vbi illa verba pronuntiauit: *Et Ieſum benedictum fructum ventris tui,* à cruciatu libera filium pulchellum in lucem edidit, fauente Maria Virgine & Matre quæ miſericordes oculos in eam convertit, dum fructus ſui benedicti, & myſterij Incarnationis eius, piè per hæc verba memoriam refricauit.

Non abſimile eſt quod legitur in vita S. Ludovici Bertrandi. [*Memoria Incarnationis Domini & felicis partus B. Virginis iuuat puerperas.*] Cùm enim nobilis quædam mulier in partu periclitaretur, & timor foret ne non emitteret fœtum viuum, ipſe ſequentem Antiphonam chartæ inſcriptam mulieri tenendam cum accenſo cereo tradidit: Neſciens Mater Virgo virum peperit ſine dolore Saluatorem ſæculorum; ipſum Regem Angelorum ſola Virgo lactabat vbere de cœlo pleno. Itaque puerum feliciter enixa eſt, qui & aqua ſalutari tinctus fuit. Nempè memoria Incarnationis Dominicæ & felicis partus B. Mariæ plurimùm prodeſt puerperis. [*Obſeruetur hoc ab Obſtetricibus.*] Notent hoc obſtetrices & Matronæ, ne fortè ad aliquam recurrant in his periculis ſuperſtitionem, ſed ad Ieſum & Mariam; ad Ieſum benedictum, qui eſt Lux vera, potens fœtui lucem dare vitæ & gratiæ; ad Mariam, quæ id facilè poteſt impetrare à Filio. Hinc pia praxis eſt cereos accendere lucentes ad hunc effectum coram Deiparæ imagine, vel potiùs coram Venerabili Sacramento, in quo eſt *Lumen de lumine,* vt alibi iterum diximus. Annulos quoque Matronæ in Italia ſolent ex ebore confectos Peruſium mittere, vt attactu Annuli, quo Mariam Ioſeph deſponſauit, benedicantur, atque hinc felicem partum nanciſci ſolent, ob devotionem erga Virginem, & eius Filium. Scimus etiam multis profuiſſe, *Scapulare benedictum,* magna fide ſuſceptum, & collo impoſitum Puerperis: quia & illud rememorat veſtem mortalitatis, quam benedictus Ieſus Filius Mariæ dignatus eſt pro nobis aſſumere. Felix ergò Puerperis pia memoria Incarnationis Dominicæ, per quam *Verbum Caro factum habitauit in nobis,* vt daret lucem vitæ & gratiæ, *illuminans omnem hominem venientem in hunc Mundum.*

Huc

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

*Exempl.*

Huc ſpectat quoque quod in vita B. Mauritij Hungari, ex Regibus Hungariæ genus ducentis, refert Michael Pius *Cùm enim Mater eius prægnans ob diurnam febrim de valetudine deſperaret, apparuit ei Matrona præcellens, veſte candidiſſima, quæ metum omnem abſterſit, aſſerens ipſam filium parituram ſanctitate magis quàm genere illuſtrem. Memor tantùm eſſet hora partus pectus munire, & dicere:* Succurrat tibi felix Christi Mater, ex cuius vtero vnigenitus æterni Patris Filius proceſſit. *Addidit, vt Angelicam Salutationem ſæpius proferret. Quænam illa Matrona, tam candida, tam illuſtris, niſi Deipara Maria quæ hanc prolem iam in ſuam recipiebat clientelam? Propterea maxima effulſit ſanctitate miraculis clarus in vita & morte Illud de ipſo fertur planè admirabile. Cùm eius exequias celebraret Lautienſis Pontifex, & Chriſti corpus eleuaret à populo adorandum, omnibus cernentibus, ſanctum illud cadauer ſpectandæ Euchariſtiæ gratia oculos aperuit, quod idem fecit, dum Epiſcopus Calicē eleuaret, tum demum oculos clauſit. Semper Euchariſtiæ deuotiſſimus fuerat, vnde & oleum oſtiatim emendicabat vt perpetuò lucerna ante eam luceret.*

---

**SECT IX.**

NOBIS POST HOC EXILIUM OSTENDE

*Mundus exilium.*

MVlti ſunt qui vix agnoſcunt hunc Mundū ſibi exilium eſſe, ſed in cæcitate degentes, & obſcuratum habentes intellectum, corque ad terrena depreſſum, exilium pro patria diligunt, tenebras pro luce, carcerem pro libertate. At veri filij Dei agnoſcunt ſe etiam filios Adæ, & idipſum experiuntur multis cincti ærumnis, in illis gementes, & flentes; ſed tamen cor firmantes in Domino, & in cælum illud dirigentes, dicunt cum Propheta: *Levaui oculos meos in mōtes, vnde veniet auxilium mihi* Quod auxilium? Vtique auxilium ad ſublevandum miſerias in hoc exilio, ad ſolamen laborum & dolorum, ad progrediendum feliciter, ad exeundum felicius, ad pertingendum feliciſſimè ad patriam & portum ſecurum. Hoc auxilium venit à Domino, qui fecit cælum & terram. *qui cuſtodit introitum & exitum noſtrum ex hoc nūc & uſque in ſæculum* Hoc auxilium venit à Montibus æternis & ſupernis, ad quos levandi ſunt oculi: ſed venit per Mariam, quæ eſt Conſolatrix afflictorum, ſolamen Viatorum, Dux & Lux eorum, donec introducat in locum eis paratum, & oſtendat eis Filium poſt finitum exilium. Viſitat ergo eos frequenter cum Filio ſuo in morbis, & ſanat; viſitat eoſdem cum Filio in vitæ termino, & manum porrigit: viſitat & eos in Purgatorio ſuo tempore, & educit cum lætitia & exultatione. Hæc tria nobis nunc paucis comprobanda ſunt exemplis, ex hiſtoria Sanctorum depromptis.

*Pſal. 120 B.V. auxilium.*

*Sucurrit varius modis.*

*Primo Impetrat ſuis ſanitatem.*

Quantùm ad primum, quia in morbis Maria ſæpe ſuis impetrat ſanitatem per Ieſum benedictum Filium ſuum, ideo in Litanijs invocatur ſub hoc nomine, *Salus infirmorum.* Eius certè opem in- numeri ſunt experti, hodieque experiuntur. E multis paucos calebres rememoro.

*Oſtenditur exē plo S. Philippi Nerii.*

Notum eſt Orbi, quomodo S. Philippus Nerius ob eximiam pietatem in Virginem, ab illa & eius Filio frequenter fuerit viſitatus, Sed ſpecialiter anno 1594: cum deſperatâ eſſet à Medicis ſalute & propè moribundus, ipſa illico ad eum iacentem venit, & ſanitatem reddidit. Quàm vbi conſpexit, nullo fultus adminiculo toto corpore in ſublime eſt elatus, vnius circiter cubiti altitudine ſupra & vltra lectulum, & Virginē clara voce cum lachrymis ſic eſt allocutus: *O chariſſima mihi Mater, itane ad me veniſti, vt his me doloribus liberares? Et quis ſum ego, qui tua præſentia ſim dignus?*

*Exemplo B. Fulberti Carnotenſis Epiſcopi.*

Notum eſt & de B. Fulberto Carnotenſi Epiſcopo, inſigni Deiparæ cultore, quomodò cum igne ſacro correpta eſſet lingua eius, ita vt totus arderet, nocte quadam apparuerit ei nobilis Matrona, à qua monebatur os aperire. Quod cum feciſſet, mox ex ſacris ſuis vberibus lac expreſſit in os eius, quo ita refrigerata eſt lingua, vt omnem extinxerit ardorem, & perfectæ ſanitati eum reſtituerit. Ne autem illuſio eſſe putaretur, manſerunt aliquot guttæ in genu Fulberti, quas ſudario diligenter collegit, hodieque in theſauro Eccleſiæ Carnotenſis adſervantur magna veneratione. Non alia autem fuit Matrona, quàm Virgo Deipara, cui Templum flammis abſumptum magna ſollicitudine reedificarat, cui & librum laude ipſius refertum piè dedicarat.

*Item alterius Epiſcopi. Calend. Virg. 2. Feb.*

Refertur & in Prato ſpirituali de quodam pio Epiſcopo ſub Feſtum Purificationis ægrotante, & Virginem obnixe rogante pro ſanitate, ad hoc vt tam ſolemni Feſto Officium celebraret. Tandem ſub tempus Proceſſionis Choro canente Antiphonam: *Adorna thalamum tuum Sion*, viſa eſt ab Epiſcopo proceſſio multarum Virginum candidata, inter quas eminebat vna geſtans infantem in vlnis. Duæ autem ex illis accedentes ad caput ægri, Angelica voce cecinere dictam Antiphonam, & cum perveniſſent ad verba iſta: *Suſcipe Chriſtum Regem, amplectere Mariam cæleſtem Portam.* Ipſa Filium depoſuit in dexteram eius, & ſiniſtro eius brachia inniti viſa eſt. Præcepitque vt ſanus ſurgeret, & Officium Dei perageret ad laudem Filij, ac plebi enarraret viſionem. Surrexit, & ſtupentibus omnibus Officium peregit, & pro Concione vniverſa hæc promulgavit. Ac non multò poſt emigravit ad Deum, Ieſu & Mariæ caſtis amplexibus poſt hoc exilium fruiturus.

*Conſolatur cum filio S. Catharinam de Bononia in morbo. Vide vitam eius*

S. Catharina de Bononia Ord. Clariſſarum aliquando gravi ægritudine afflicta vidit Chriſtum in ſuo Throno ſedentem, ac Deiparam cum SS. Laurentio & Vincentio, vnà cum innumeris Angelis, & quemdam in conſpectu Chriſti Regis fidibus verba illa canētē: *Et gloria eius in te videbitur.* Vidit etiam Ieſum dextrâ ſuâ apprehendentem ipſam, & dicentem: *Audi filia diligenter concentum & percipe quid eſt: Et gloria eius in te videbitur.* Sic

voluit eam conſolari Ieſus & Maria in hoc exilio durante afflictione, & meminiſſe quod hoc exilium oſtenderet ei perfectius Ieſum, & gloriam eius, quodque Ieſus benedictus fructus Mariæ oſtẽſurus eſſet ei Matrem ſuam in perfectione quoque gloriæ. Hæc Virgo multis poſt mortem elaruit miraculis, ita vt & in illa apparuerit gloria Dei, & potentia, quia & corpus eius perfuſum fuit ſuavi odore, & ſudore è vultu manante & adhuc modò viſitur Bononiæ ita tractabile, vt Sanctimoniales illud veſtiant, & in cathedra collocent, flexibilitate membrorum tantâ, vt non tam mortua, quam dormiens videatur.

*etiam S. Helenam Ordinis S Franciſci. Martyrol. Franc. 4. Nov.*

Addamus & huic S. Helenam Ord. Sancti Franciſci, cui apparuit Beatiſſima Virgo totos quindecim menſes febre & pleuritide laboranti, & hymnos in ſummis doloribus decantanti. Quieſcit autem eius corpus Patavij, & ſeſe magno movet ſtrepitu, quando civitati aliqua clades imminet, puta peſtis, belli, vel ſimilis mali.

*Secundo B. Virgo viſitat ſuos cum Filio in fine vitæ. Apoc. 12.*

Quantùm ad ſecundum, cùm in egreſſu animæ grave incumbat bellum ab hoſte, qui omnes ſuas effundit vires, vt iuſtos, ſi fieri poſſit, vel tunc ſupplantet, & profligat in hoc vltimo prælio, ideo neceſſe eſt manu adiutrice. Tunc verum eſt illud: *Væ terræ & mari quia deſcendit diabolus ad vos habens iram magnã, ſciens quod modicum tempus habet* Illa nempe eſt poſtrema hora, in qua agitur de abſoluta victoria, & de irrevocabili perditione, vel ſalute; ideo tunc inſurgit magna ira & vi magna, immiſſis tentationibus infidelitatis vel diffidentiæ, deſperationis vel præſumptionis; *abſcondit laqueos & iuxta iter ſcandulum ponit*, inſidiasque adornat in fine itineris. Tunc etiam adſunt multæ tenebræ cum horrore mortis. Itaque his qui devoto ſibi obſequio devincti fuere, adeſt tunc Maria, vt luce ſua tenebras diſpellat, vt ſecuritatem trepidis infundat, & anxijs conſolationem, vt manum porrigat adiutricem, directricem, protectricem.

*Pſal. 72.*

Quocirca multi ei tunc decantare valent: *Tenuiſti manum dexterã meã, & in voluntate tua deduxiſti me, & cum gloria ſuſcepiſti me.* Inſtar Matris enim inter brachia ſuæ pietatis animas ſuſcipit, vt Filio ſuo eas finito jam exilio præſentet, vel Filium illis.

*Exemplis variis oſtẽditur S. Clara.*

Nonnulla produximus exempla explicantes verſum illum Hymni, *Aue Maris ſtella, Iter para tutum, vt videntes Ieſum ſemper collætemur.* Vide Opuſc. primum tom. 2. lect. 15. & 16. vbi oſtendimus, quomodò apparuerit B. Virgo in termino vitæ, S. *Claræ*, ſtipata choro Virginum, multa luce circumfuſa: vnde in extremis dicebat animæ ſuæ Clara: *Vade ſecura, quia bonum habes itineris Ducẽ:*

*S. Anton. de Padua*
*B. Antonius.*
*S. Reginaldus.*

Quomodo viſitarit *S. Antonium de Padua* decantantem tunc pium illum Hymnum, *O glorioſa Domina:* Quomodo viſitarit *S. Antoninm Archiep.* ita vt moriens in illa verba erumperet: *Sancta & immaculata Virginitas, quibus te laudibus efferã* Quomodo viſitarit *B. Reginaldum*, extremam Vnctionem proprijs manibus ei impendens: Quomodo viſitarit B. Mariam Ogniacam, ita vt in extremis caneret Canticum illud Marianum, *Magnificat anima mea Dominum:* Quomodo viſitarit S Nicol. Tolent. cum Chriſto & S. Auguſtino, eique dixerit: *Euge ſerue bone, intra in gaudium Domini tui.* Quomodo viſitarit *S. Hydvigem* extrema hæc verba proferentem, *Maria Mater gratiæ, Mater miſericordiæ, tu nos ab hoſte protege, & hora mortis ſuſcipe:* Quomodo viſitarit B. Petrum Faverium Cartuſianum in illa hora anxium deferens ſecum in vlnis puerũ Ieſum, & dicens ei *Frater cur times;* Per hunc Filiũ meum, *omnia tibi peccata dimiſſa ſunt* Contigit idem *B. Adulpho*, qui relicto Alſatiæ Principatu, humilem ſanctamque vitam egerat in Fanciſci Ordine, cui in morte anxio apparuit B. Virgo eum his verbis confortans: *Quid times, veni ſecurus, cùm totus ſis meus. Filius meus cui fideliter ſeruiviſti, dabit tibi coronam gloriæ.* Quibus verbis ita confirmatus fuit, vt omnis horror mortis in lætitam ſit converſus. An non his omnibus in termino exilij Filium oſtendens Maria, mirè eos lætificavit, & ſecuros reddidit de ingreſſu in patriam?

*S. Nic. Tolent. S. Auguſtinus. S. Hydvigis. B Pet. Faverius.*
*B. Adulphus.*

*Adelmus Epiſc. in vita eius apud Surium 22. April.*

Adijciamus & hic opportunè de *S. Oportuna Abbatiſſa*, Cum graviter ægrotaret, ad eam venerunt SS. Cæcilia & Lucia: Ad quas illa blando ſermone: *Avete ſorores Cæcilia & Lucia, quid præcipit ancillæ ſuæ omnium Regina Maria;* Reſpondent illæ: *Expectat adventum tuum, vt Filio eius coniungaris in Cælo, Itaque ornata corona gloriæ, & accenſa lampade debes obviare Sponſo & Sponſæ.* Poſt lætitiam autem tam præclaræ viſionis, dum in exitu illius ſanctæ animæ Clerus & Sanctimoniales Pſalmos canerent, & ipſa cum eis; ecce reſpexit ad oſtium domus, & dixit: *En advenit Domina mea Beatiſſima Virgo Maria, cui vos commendo, quos hic ampliùs non videbo.* Extendente autem ea brachia ſua, quaſi Matrem Dei amplexari vellet, ſancta eius anima carnis vinculis ſoluta in Cælum penetravit.

*Tertio adiuuat animas in Purgatorio. Brig. Reuel. lib. 4. cap. 138.*

QVantum ad tertium, Maria Deipara varijs adiuvat modis animas hoc exilio ereptas, ſed tamen adhuc purgatorijs flammis ad tempus deſtinatas. Quapropter dicebat quondam S. Brigittæ. *Ego ſum Mater Dei, & Mater omnium qui ſunt in Purgatorio, quia omnes pœnæ, quæ, debentur pro purgandu peccatis eorum, per preces meas qualibet hora aliquo modo mitigantur.* Quapropter & animæ his piacularibus flammis detentæ ei inclamant: *Eya ergo Advocata noſtra, illos tuos miſericordes oculos ad nos conuerte, & Ieſum benedictum fructum ventris tui nobis poſt hoc exilium oſtende.* Hinc & ille verſus in quibuſdam Eccleſiis decantatur, & ad Deiparam dirigitur.

*Ad te Pia ſuſpirant mortui,*
*Cupientes de pænis erui,*
*Et adeſſe tuo conſpectui,*
*Et æternis gaudiis perfrui,*
*O MARIA.*

Quia

Quia verò ipſæ precibus ſuis nunc mereri nequeunt, aut ſatisfacere, nos eorum loco hæc ad Virginem & Matrem dirigimus, vt manum ſuam extendat miſeris, qui ſub pænis languent continuis, & educat è domo carceris. Et hoc ipſum ei gratiſſimum eſt; nam, vt diximus, varijs modis eas adiuvat, & adiuuari peroptat.

*idque variis modis.*

*1. Monendo alios vt pro animabus illis orent. Xymenez Socie. Ieſu*

Primò, ſuſcitat ſervos ſibi addictos, & ſpiritum eis indit, vt pro illis animabus orent, meritaque & ſatisfactiones ſuas ſpecialiter offerant, ſpecialesque pœnitentias, ieiunia, mortificationes, chameunias ſubeant in earum opem & refrigerium. Sic legitur in vita P Baltazaris Alvarez. c. 45. de Ioanne Ximenez Societatis Ieſu Goadiutore à pietate celeberrimo: Quod cùm in Feſto omnium Sanctorum coram Imagine B. Mariæ Virginis animas in Purgatorio detentas miſeratus pro ijs oraret, doleretque tam parum à Fidelibus vivis adiuvari, audivit vocem: *Tu memineris, ô Ximeni, animarum Purgatorii.* Qui voce perculſus, ab eo tempore vſque ad obitum, per octo circiter annos omnia opera ſua, tam interna quàm externa, tam devotionis quam mortificationis, in ſuffragium earum obtulerit.

*S. Chriſtina.*

Sic S. Chriſtina mirabilis electa fuit è cælo, vt pro animabus Purgatorij continuam ageret pœnitentiam. Vide ſcripta à nobis in Vite florigera lect. 35. in die Commemorationis animarum, vbi & reperies de Sanctis Maria Ogniaca, Lyduina, Lutgarde addictiſſimis in obſequium his animabus ſatis patientibus. Idque abſque dubio, Deipara inſpirante factum fuit. Nam & animam Innocentij tertij Pontificis, quam à damnatione eripuerat, miſit Maria ad B. Lutgardem, vt eius auxilio à pænis purgatoriis poſtmodum liberaretur. Hiſtoriam refert Thomas Cantiprato in vita eius apud Surium.

*2. Liberat vel mitigat earum pœnas per Angelos & per electos:*

Secundò, viſitat eas per Angelos, & per electos, & liberat eas, vel mitigat earum pænas: Obtemperant enim Angeli piæ voluntati Deiparæ in adiuvandis ſervulis vel ancillis ſuis, ſive in vita, ſive in morte, ſive poſt mortem. Hoc his aſſerit verbis S. Bonaventura in Speculo Virginis: *Michael Dux & Princeps militiæ cæleſtis tuis Virgo paret præceptis in defendendis in corpore, & ſuſcipiendis de corpore animabus Fidelium, ſpecialiter tibi, ô Domina, & die ac nocte ſe commendantium.*

*S. Magdalena.*

Sic legimus in vita *S. Magdalenæ*, cùm divinitùs translata eſſet in antrum, vbi egit vitam admirabilem in pœnitentia per triginta annos Angeli apparuerunt ei, & per illos deducta fuit ad loca infernalia, vt videret pœnas damnatorum; & poſteà ad Purgatorium, vbi ſpiritus pij eius orationes enixè poſtolarunt & pro ſe ipſis frequentes preces. Deinde cùm reducta eſſet ad antrum ſuum & ſpeluncam, in cuius ore crucem erexerat Sanctus Michael contra adverſarias poteſtates, dictum eſt ei ab Angelo: *O Magdalena, Deus tuus quem diligis, vult te locũ iſtũ lachrymis rigare, ut futuris ſæculis ſis exemplum pœnitentiæ. Hic tanto tempore moraberis, quanto amor tuus Ieſus in terris.* Vtique Magdalena non tam pro ſe ſatisfecit, cui erant condonata peccata & peccatorũ pænæ per ardentiſſimã contritionẽ & dilectionẽ, idipſum atteſtante Domino: *Dimiſſa ſunt ei peccata multa, quia dilexit multũ:* ſed pro peccatoribus & pro animabus in purgatorijs flammis detentis potuit ſuas offerre ſatisfactiones, ideoque per Angelos ad purgatorium locum deducta fuit, vt miſereretur ſuper pænis earum.

*Sylueſter in Roſa aurea.*

*B. Henricus.*

*Hyacinth Choquetius in SS. Belg Ord. Præd.*

Huc etiam refert quod legimus de Beato Henrico de Calſtus Ord. S. Dominici Virgini devotiſſimo, cùm enim eum iam graviter ægrotantem, quidam interrogaret, *Num ſine Purgatorio tranſiturus eſſet ad gloriã;* reſpõdit cumn ſecuritate: *Beatiſſima Virgo Maria in exitu animam meã ſuſcipiet, & pluſquam trecentas animas mecũ de Purgatorio abducã in Cælum.* Nimirum illas animas donaverat ei B. Virgo, Mater eorum qui agunt in Purgatorio, voluitque eas deduci per ſervum ſuum fidelem, & ad ſe adduci, vt eis poſt hoc exilium & carcerem illum temporaneum oſtenderet Filium ſuum, & quidem æternum.

*3. Viſitat eas per ſe ipſam & pœnis liberat maxime die Sancto Paſchæ.*

Tertiò, viſitat eas Maria per ſeipſam, & educit in libertatem. Dionyſius Cartuſianus, extaticus Doctor dictus, refert ſolitam eſſe Deiparam animas è Purgatorio liberare in die ſancto Paſchæ ita vt ei per participationem conveniat, quod de Filio eius ſcriptum eſt Iſaiæ 49 *Dedi te in fœdus populi, vt ſuſcitares terrã, & diceres his qui vincti ſunt exite, & his qui tenebris, Reuelamini.* Hoc ipſum hac narratione confirmat: Duo ſocietate ſpeciali iuncti & amicitia fuere, quorum alter pro ſocio orare negligens, continenter eius iacturam. Huic poſt Feſtum Natalis Chriſti defunctus apparuit, dicens: Nihil mihi profuiſti tuo fletu; Ecce ſingulis annis in Natiuitate Filij ſui multitudine comitata Beatorum ſpirituum ad Purgatorium deſcendit Deipara, indeque permultas liberat animas, quoniam tali nocte Regem peperit gloriæ. Cumque proximè elapſo Nativitatis Feſto deſcenderet ipſa ad nos, ſperabam me precibus tuis ab ea educendum, ſed fruſtra. Cum igitur idem facere ſolita ſit proxima nocte Reſurrectionis Dominicæ, eo quòd Chriſtus Filius eius ea nocte ſanctos Patres è limbo liberarit, rogo ne ceſſes cum lachrymis orare, vt me dignetur nocte iſtâ liberare. Pro ſigno autem efficaciæ precum tuarum, ſcies te exauditum, ſi tibi vltra non apparuero. Cumque deinceps ampliùs non ſe præbuerit viſendum, creditur nocte illa per Deiparam ereptus.

*Die natalis Domini.*

Ex hoc exemplo collige, quòd Virgo Deipara quibuſdam feſtivitatibus (ex privilegio ſibi è Filio ſuo indulto) tamquam Conſolatrix afflictorum, & Mater omnium, etiam eorum qui carcere expiatorio detinentur, eos viſitet, conſoletur, educat, & ad Filij ſui viſionem perducat. Hi tamen ſolent præparari per preces & ſatisfactiones viuentium, apud Chriſtum & Deiparam intervenientium;

tium ideo defunctus iſte conſodali ſuo apparuit, eius expoſcens preces pias & ferventes, ſemotis inutilibus lamentis & fletibus, ſolo amicitiæ privatæ titulo eductis, nec in Deum ad intercedendũ relatis. Talia enim lamenta & lachrymæ potius aggravare videntur eorum pænas, quam alleviare & mitigare.

*Tho. Cãtip. lib. 2. cap. 53. punct. 16.*

Vnde ſic hac de re diſſerit Th. Cantiprato pius & eruditus: *In mortuum produc lachrymas, id eſt in altum, duc, ad Deum ſcilicet: Temperant enim calorem ignis Purgatorii. Si autem immoderatas lachrymas dederis inanes ſunt, & nullum refrigerium præſtant.* Matris relatione didici, inquit ipſe, quod narro. Avia mea filium habuit primogenitum, indole inſigni, & decore præcipuum, quo mortuo inconſolabiliter doluit. Illa autem inconſolabiliter lamentante, apparuerunt ei iuvenes in via quadam cum ingenti gaudio gradientes. Cumq; memor filij eum inter illos nõ eſſe videret, & fleret, ecce poſt alios filium lento gradu ſubſequentẽ agnovit. Cui Mater cum gravi clamore dixit: *Et quid eſt, fili quod ſolus & non cum aliis graderis retardatus*, Cui ille in toga laterali magnum æque pondus oſtendens, dixit: *Ecce Mater, lacrhrymæ quas pro me inaniter fudiſti, quarum pondere ab aliorum proſecutione retardor. Ad Deum ergò lachrymas commutabis, & in præſentia Sacrificii Corporis Chriſti cum eleemoſynis pauperum pro me corpium effundes, & liberabor ab incommodo quo gravor.* Nota tamen, Lector, diſpenſatione divinâ, vel ad conſolationẽ, vel ad correctionem Matris, ſe dixiſſe inanibus lachrymis à comitatu ſodalium retardatum: quia meritis quidem viventium defuncti iuuari poſſunt, ſed nullis demeritis impediri.

*Etiam Feſto Aſſumptæ Virgini Liberantur animæ è purgatorio.*

Quòd autem dictum eſt Deiparam educere, animas aliquas de Purgatorio in die Reſurrectionis & in die Nativitatis Filij, idem piè creditur facere in die anno Aſſumptionis ſuæ. Et quidem in die ipſa, qua in Cælum aſſumpta fuit, & coronata à Filio, Purgatorium fuiſſe evacuatum, pia & probabili opinione tradit Ioannes Gherſon, quem ſequuntur & alij contemplativi Doctores. Nam ſi in die coronationis Reginæ carceres aperiuntur, quantò magis in coronatione illius, quæ Regem Regum peperit pro miſerorum conſolatione? Nec minus piè credimus adhuc quotannis eadem feſtivitate recurrente aliquas animas liberari in gratiam huius clementiſſimæ Matris. Nam ſi Sancto Franciſco à Chriſto promiſſum aſſerunt Annales Franciſcani, in die ei annuè feſtivo aliquas animas ſibi donandas, quàm potiori ratione dicemus id Matri Dei conceſſum?

*Lib. 3. Epiſt. vlt.*

Huc facit Hiſtoria à B. Petro Damiano relata. Ibi narrat mulierem quamdam Romæ defunctam alteri nocte prævia Aſſumptioni apparuiſſe. Cumque ab ea quæreret, quomodo ſe habere à morte ſua; Reſpondit: Non levis me pæna cruciavit vſque hodiè: at hac nocte Regina cæli pro nobis preces fudit, meque cum multis alijs de locis pænarum eripuit: imò tot indè liberavit, vt numerum totius Romanæ plebis excedat. Cumque altera mulier de rei veritate ambigeret, dixit ei hæc defuncta: Scito in ſignum veritatis, quam tibi modò aperio, te hac ipſa die poſt annum moritura. Quod & factum eſt.

Illud quoque hic non eſt prætereundum, vt potè confirmans hactenus dicta de B. Virgine, animas purgatorijs focis detentas viſitante & liberante, quod Pontifex Ioannes XXII. aſſerit in Bulla quam vocant Sabbatinam, ſibi apparuiſſe B. Virginem in veſte candida Carmelitana, ei præcipiendo vt evulgaret Fratribus Carmelitis, & omnibus ſacrum Scapulare Ordinis eorum piè geſtantibus ad ſepulchrum vſque, cum obſervatione eorum, quæ in Sodalitio Carmeli præſcribuntur, ſe eos proximo Sabbatho à morte eorum è Purgatorio liberaturam. Quam quidem Bullam cum privilegijs à B. Virgine Deipara conceſſis confirmarunt multi Pontifices, vt patet ex libellis de hoc Sodalitio Carmeli, ſive Scapularis editis, de quo & nos rurſum alibi diſſeruimus. Sic ergo promittit Maria benedicta benedictum fructum ſuum Ieſum omnibus pijs ſuis ſervulis oſtendere; ſed his maximè qui eius geſtant Inſignia & Symbola cum devotione ſincera, inter quæ voluit eſſe ſpeciale, iſtud ſacrum Scapulare. Quapropter virtute illius Virgineæ teſſeræ, multas animas à Purgatorij flammis liberas tranſire mox à morte, oſtenſum fuit non ſemel Sanctæ Tereſæ, vt teſtatur Alphonſus à Matre Dei Carmelita excalceatus, de privilegijs Scapularis diſſerens, & nonnulla miracula quæ in Hiſpanijs contigere virtute Scapularis recenſens.

*Scapulare ſacrum piè geſtan. geſtantes liberãtur cito purgatorio.*

*Lib. 2. Apum c. 51.*

Concludamus hæc omnia exemplo quod refert Tho. Cãtipr. Vidi, inquit ipſe, quemdã Canonicũ Cameracenſis Eccleſiæ, qui ſe in religioſo Cantipratenſi Cœnobio ad Ordinẽ tranſtulit regularem. Hic cum Beatiſſimũ Apoſtolũ & Evangeliſtam Ioannem in vita ferventiſſimè dilexiſſet, poſt mortem illius cuidam Canonico eius in viſione viſum eſt apparitionem huiuſmodi ſe videre. Acceſſit ſcilicet idem Apoſtolus ad B. Virginem Matrem Chriſti, rogans eam ſuppliciter, & ſic dicens: *Ecce anima amici noſtri torquetur in pænis. Veni obſecro, & liberes eam, quia etſi in vita perfectè non vixit, tamen vitam ſuam pro magna parte correxit.* Nec mora, annuit Virgo Virgini, & ad Purgatorium deſcendentes animam liberatam adducunt, & ſecum transferunt ad ſuperna. Cognovimus hæc per illum qui vidit, & teſtimonium perhibuit, & ſcimus quia verum eſt teſtimonium eius.

Hinc piè pingitur Chriſtus iuxta Mariam Matrem Sanguinem fundens, quem quidem Maria charo ſuo colligens gremio, ſpargit ſuper animas expiatorijs pænis detentas, & infra Ieſum & Mariam depictas quaſi locum indulgentiæ poſtulantes, & ſuffragia viuorum, meritaque Chriſti & Virginis ſibi applicari depoſcentes. Quod ipſum ſe præſtare Maria oſtendit hac Sanguinis Filij ſui diſperſione

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

perſione & diffuſione, ad flammas & pœnas eorũ extinguendas. Quam picturam nouiſſimè erexerunt Florineſes in Altari ſuo priuilegiato pro defunctis.

Alij pingunt Chriſtum ſpargentem Sanguinem ſuper animas defunctas, & eorum focos; Virginem autem ex altera parte lac ſuum fundentem, vt commixtum ſanguini eis proſit ad indulgentiam. Quo quidem lacte ſignificatur dulcedo & benignitas candida Virginis erga omnes eius auxilio indigentes etiam poſt hanc vitam.

*Dum fluit è Chriſti benedicto vulnere Sanguis,*
*Et dum virgineum lac pia Virgo premit.*
*Lac fluit & Sanguis; Sanguis coniungitur & Lac:*
*Sic fit Fons vitæ, Fons & origo boni,*
*Fit Fons qui totum à peccatis abluit Orbem,*
*In quo mundatur commaculatus homo.*
*Fit Fons rore ſuo miſeris ſuccurrere natus,*
*Quos Orci purgans flamma ſitire facit.*

SECT. X.

*Chriſtus D. à Clementia cõmendatur.*

## O CLEMENS.

*Luc. 15.*

CHriſtus Dominus maximè commendatur à clementia ſacris in litteris. Vndè illud eius Elogium eſt laudis plenum: *Hic peccatores recipit, & manducat cum illis.* Licet .n. hæc verba in eum Phariſæi intorſerint animo malevolo, tamen verè ad eius laudem pertinent & clementiam. Propter eà etiam de illo ſcriptum eſt, & de eius clementia:

*Iſa. 42.*

*Calamum quaſſatum non confringat & linum fumigans nõ extinguet*: Hoc eſt, miſeros & infirmos peccatores non adiget ſua auſteritate & potentia ad deſperationem ſalutis, quaſi eos confringendo aut extinguendo per ſeueritatem: ſed ad fiduciam eriget, reparabit, animabit: per ſuam benignitatem & clementiam, ſcintillamque fidei & ſpei adhuc in eis fumigantem benigno flatu ſuo reaccendet.

Hæc eius clementia maximè elucet in eo quod ab ipſo geſtum legimus erga mulierem in adulterio deprehenſam. Audita enim eius accuſatione, dicit accuſatoribus; *Si quis ſine peccato eſt, primus in eam lapidem mittat* Poſtea mulierem interrogat: *Nemo te condemnauit? Nec ego te condemnabo. Vade, iam noli ampliùs peccare.* Quid clementius? quid benignius? Sed & ipſum eius factum myſterio clementiam indicante plenum eſt. Scribebat .n. in terra, & inclinabat ſe dum accuſatur adultera, quaſi diſſimularet accuſationem, & quaſi aliud agens ad alia attenderet, quia eius clementia non lubenter audit accuſationem. Accuſatoribus autem abeuntibus, erexit ſe Quod admirans S. Amb. *Vide Chriſti clementiã, cùm accuſatur mulier, caput inclinat Chriſtus; eleuat autem vbi deficit accuſator: ita nullum damnare vult, omnes cupit abſolui.* Notant & aliqui Interpretes, quòd ſcriberet in terra accuſationem Phariſęorũ, quaſi ſignificãs facilè delendam, vtpotè ſignatã in monumento pulueris minimè diuturno.

*Ioan. 8.*

*Epiſt. 78.*

Deipara Virgo Maria à clementia commendatur ſicut & Filius: immò quadam ratione magis quam Filius, quia cùm ipſe ſit Iudex etiam ſeueritatem quandoque exerceat neceſſe eſt: debet enim & à iuſtitia commendari, quæ ei ex officio incumbit. De hac re ſic loquitur S. Anſel. *Velocior nonnumquam eſt ſalus invocato nomine Mariæ, quàm invocato nomine Ieſu. Non quòd illa potentior ſit, nam per illum ipſa potens eſt: ſed quia Matrem ſic vult Filius honorare, & quia Filius eius Dominus & Iudex eſt, diſcernens merita ſingulorum. Dum ergò Filius ſuo nomine non exaudit, iuſtè facit, invocatus autem nomine Matris, etſi invocantis merita non merentur, Matris tamen merita intercedunt.*

*B. Virgo etiam à Clementia laudanda.*

*Anſel. li. de Eccl. V. cap. 6.*

Ideò etiam B. Laur. Juſtin. *Nos igitur in honorem iſtius Virginis pracinamus in confeſſione Deo noſtro. Ipſum veneremur in Matre, & Matrem honoremus in Filio Vtriq; vota noſtra fideliter exoluamus, quatenus Filium Genitrice interpellante pro nobis vincamus, mundum, diabolũ ſuperemus, & in regnum introeamus æternum. Vniuer ſa autem hæc vt faciliùs conſequamur, Tu, ô B. Dei Genitrix, Virgo fœcunda, cœli porta, delinquentium ſpes, pro nobis intervenire digneris Non te repellit qui naſci voluit ex te, honorauit te, requieuit in te, teq; collocauit apud ſe qui fecit te Ieſus Chriſtus Dominus noſter.*

*Seren de Nativ. Mariæ.*

*Prov. 20.*

Si verum eſt generaliter illud Sapientis, de Rege. *Roboratur clementiâ thronus eius*: id maximè verum eſt Regina noſtra Maria, cui inclamamus voce vnanimi & publica: *O clemens, ô pia!* Et iterum alibi reſonat Eccleſia in eundem ſenſum, *O benigna, ô Regina, ô Maria!* Thronus itaque Mariæ Reginæ noſtræ vndique refulget & fulcitur clementia, ideoque ad illum acceſſus & facilis & felix. Sedet & ipſa in Throno & Tribunali, ſed omnibus accedentibus extendit Virgã clementiæ, ne quiſquam decidat corde, aut terreatur majeſtate. Immò verum eſt de illa, quod Sapiens pronunciauit in eius typo de forti muliere, *Lex clementiæ in lingua eius*, Nihil loquitur niſi de clementia, illã impendit accedentibus ad ſe, pro illa continuis interceſſionibus apud Filium agit, nihil aliud reſpirat niſi clementiã. Sicut non poteſt à Sole lux, ab igne calor, à balſamo & aromaticis herbis odor ſeparari: ſic nec à Maria clemẽtia, quia ei innata eſt inviolabiliter, & cũ dignitate Matris Dei legẽ & gratiã clementiæ diuinitùs accepit, cuius numquã poteſt obliuiſci. In oculis illam circũfert, in lingua, in facie, in corde, in pedibus, in manibus. O verè & perfectè clemens Maria!

*Prov. 31.*

Olim ad S. Clementem M. qui re & nomine verè Clemens erat, refugium habuêre Chriſtiani in exilio agentes, in Inſula Vrbis Cherſonæ ad ſecanda marmora condemnati. Cum enim maxima aquę penuria laborarent, rogarunt S. Clementem, vt eis clementer providere dignaretur, quia ſciebant orationis ipſius apud Deum potentiam. Ipſe oratione communi peracta, oſtendit eis locum in quo viderat Agnũ de ſub cuius pede Fons viuus emanabat. Invenerunt ergò ibi aquam vbertim fluentem, qua ſitim explere, & neceſſitati potuerunt affatim ſubvenire. Nos in hoc exilio varijs fracti laboribus egemus refrigerio, egemus aqua ſitim & laſſi-

tudinem

tudinem ſubleuante in terra deſerta, inuia & inaquoſa: ad quem autem refugium habebimus niſi ad Mariam Matrem clementiſſimam? Teneamus eam, nec dimittamus; advoluamur eius pedibus ſupplices, adhæreamus cordi; ipſa oſtendet nobis *Agnum de ſub cuius pede Fons viuus emanat*; ipſa nos efficiet dignos promiſſionibus Chriſti, ipſa in ſolitudine & exilio noſtro omnem noſtram clementer ſubleuabit penuriam & neceſſitatem, noſque efficiet dignos ſe clientes, & tandem cœlo dignos incolas.

*Clementia Deipara erga S. Genouefam, Molanus in SS. Belgij 2, Aprilis.*

Iucundum mihi hic rememorare, quàm clementer ſe in deſerto geſſerit hæc Virgo clemens erga S. Genovefam Palat. Hæc Ducis Brabantiæ filia, velut altera Suſanna ſuo tempore emicuit pudicitia & patientia, nec non deuotione erga Dei Genitricem. Cuius interventu à Sifrido Rom Imperij Palatino maſculam prolem concepit, antequam is ad barbaras nationes cum magno belli apparatu abiret. Abiens coniugem cum omni dominio defendendam tradidit militi fortiſſimo Goloni. Sed miles primùm blanditijs, deinde fictis de mariti morte litteris, denique & alijs moleſtijs eius pudicitiam exagitauit. Nouiſſimè redeunti viro omnia proſpera eſſe dixit, præter thorum adulterio maculatum. Quare eam cum prole ſubmergendam ſuggeſſit. Quod mox maritus ira percitus fieri decreuit. Sed famuli eam in nemore deſeruerunt, & pro lingua eius ad Golonem canis linguam attulerunt. Interim velut altera Agar cum prole per ſolitudinem vagatur, antra habitat lympha & herbis ſe ſuſtentans ab Advocata interim ſua Deipara multam conſolationem capiens. Per eius patrocinium cerua quædam filiolo turgidas mammas exhibebat. Elapſis tandem annis ſex & menſibus tribus, maritus inter venandum in die Epiphaniæ, vxorem cum prole reperit, & ex cicatrice vulneris in Brabantia accepti, alijſque ſignis eam cum rugitu agnouit. Noluit autem cum marito congredi, niſi ſponderet Eccleſiam ibi ædificare Dei Genitrici, quæ eam in tot conſeruarat aduerſis. Quod citò fecit, & conſtructam Hidulphus Epiſcopus conſecrauit. Supervixit autem, delicata non ferens, inconſueta abſtinentia, vſque ad proximum diem ſecundum Aprilis. Cuius anima cœlos tranſcendit, corpus autem in dicto Templo eſt reconditum. Vbi Deus ob ſuæ Matris reverentiam præclara multa operatur. Cæterùm Golo à quatuor indomitis bobus dilaceratus interijt.

SECT. XI

## O PIA.

*Pietas magnatum decus.*

CLementiæ affinis eſt pietas erga inferiores, quæ Magnates decet, immò ornat & coronat. De hac vtraque ſic Fauſtinam coniugem alloquitur Marcus Antoninus apud Lampridium: *Hæc Cæſarem Deum fecit, hæc Auguſtum conſecrauit, hæc Patrem tuum Pij nomine ornauit.* Pius ergò non

*Quid ſit eſſe Pium*

ſolùm ſignificat religioſum virum ſed & benignum & benevolum. Et apud antiquos *Piare* idem ſignificat quod colere, aut piè amare. Hinc Næuius: *Nemo eſt qui ſuos magis piet liberos.* Hinc & illud Ciceronis: *Nō ſecùs in me pius, quàm Pater in filios.*

Propterea Dominum Ieſum Pium ſæpè vocat Eccleſia: *Recordare Ieſu Pie, quòd ſum cauſa tuæ viæ.* Et iterum: *Pie Ieſu Domine, dona eis requiem.* Refert Martyrologium Franciſcanum de B. Mentia Ord. S. Franciſci Sanctimoniali, quòd mirè foret devota imagini cuiuſdam Crucifixi in Monaſterio noſtræ Dominæ de Conſolatione apud Oppidum Calabazanæ propè Palentiam. Cum verò magno affectu & feruore apud illam Imaginem illud repeteret, *Pie Ieſu Domine*, reſpondit Chriſtus per illam Imaginem: *Benè Pium me vocas, ſum etenim; tibiq; Pius ero.* Quibus verbis Dei erga ſe dilectionem agnouit, ſuamque electionem.

*Martyrol. 15. Ian. & Gonzaga 3. parte ſupplementi*

*Nomen Pius Primariò cōuenit Deo. Trāſfertur etiam in Imperatores Reges.*

Hoc nomen PIVS, quod Regi Cœli convenit primariò & eminenter, etiam in Imperatores & Reges ſæculi translatum eſt, vt monerentur Dei clementiam & pietatem erga ſubditos imitari. Hinc & Diui etiam nomine ſunt honorati; nam frequens eſt apud veteres hæc nomenclatura, *Diua Auguſta, Diuus Auguſtus.* Rectè autem & pulchrè hac de re ſic ſcribit & monet B. Ennodius in Panegyrico Theodorici Regis Italiæ: *Maiores noſtri Diuos vocauerunt eos, quibus ſceptra collata ſunt. Rex ergò vt Diuus vitam agat ex fructu conſcientiæ, nec requirat pompoſæ vocabula nuda iactantiæ.*

*Et Principes.*

Sed & quibuſdam Principibus nomen PII appropriatum fuit ob eximiam pietatem, tum erga Deum, tum erga Beatam Dei Genitricem.

*Ludouicus Pius deuotus erga B. Virginem Crantzius l. 10. Metrop.*

Ob hanc cauſam Ludouicus, filius Caroli Magni, PII cognomen eſt aſſecutus, vulgò Ludovicus PIVS nuncupatus. Nempè non imperij ſolùm, ſed multò magis paternæ pietatis hæres, venerandam Deiparæ Virginis Imaginem tanti fecit, vt eam quocumque religioſiſſimè circumferret. In venationibus ad Arborem eam collocari iubebat, vt è regione poſitam inter venandum crebrò videret, à tergò relictam ſubindè reſpectaret, ad eandem precaturus ſæpè recurreret. Idem diuina monitus viſione ad Arboris Truncum noui Templi fundamenta iecit, & Sanctiſſimæ Virgini nuncupauit. In ſuburbio quoque Wormatienſi condidit Monaſterium, & Mariæ Matris Cœnobium appellauit; quam incredibiliter ſincero adamabat affectu. An non igitur ob hæc omnia meritò cognominatus eſt Ludouicus Pius?

*Albertus Auſtriacus Belgij Princeps Pius dictus à pietate in Deum & Virginem*

Sic quoque noſtro æuo Albertus Auſtriacus, Belgij Princeps, à pleriſque dictus eſt Albertus Pius, ob pietatem eximiam in Deum & Virginem. De quo ſic ſcribit auctor Calendarij Virginei, Iulij decima-tertia. Hic ad B. Virginem Hallenſem frequens itabat. Donum ibi ſuſpendit lampadem argenteam pondere & opere inſignem, & vectigal annuum addidit, vt perpetuò ante ſacram effigiem luceret. Antequam in Hiſpaniam proficiſceretur ad connubium cum Sereniſſima Iſabella, Philippi

ſecundi filia , ſacram Purpuram Cardinalitiam (quam multos annos ornarat verius quàm ab ipſa ornatus fuerat )ſuſpendit Virgini Matri in Hallis miraculis coruſcanti, quâ poſitâ, gladio ſe accinxit idque eo ipſo die quo è vita abijt, quod obſervatione dignum videtur, Factum id anno 1598. 13. Iulij, obiit autem 1621. eodem die.

*Templũ exædificauit B. Virgini.*

Eandem Virginem coluit maximè in Aſpricolle prope Sychemium , vbi per multos annos conſequentes novendium peregit in veneratione Virginis, peccata confeſſione expiando , & ſacra Euchariſtia ſe reficiendo , multaque dona pretioſa Virgini conſignando. Ibi cum coniuge Iſabella Clara Eugenia magnificum & verè regium templum forma rotunda excitari curavit , quod hanc habet inſcriptionem rememoratione dignam:

DEO OPT. MAX.

Deiparæque Virgini Mariæ.

*Magnæ in rebus adflictis auxiliatrici,*
*Quà Mater Chriſti eſt, potenti,*
*Quà Mater noſtra eſt, volenti,*
*Quæ collem ſaltibus aſperſum elegit*
*Vt Miraculorum fama inclytum*
*Super alta Montium culmina exaltaret,*
*Vndè nominis ſui gloriam cultumque,*
*Per innumerabilia beneficiorum miſſilia,*
*Frendente nequidquam hæreſi*
*Toto terrarum Orbe diffunderet.*

ALBERTVS ET ISABELLA
*Archiduces Auſtriæ, Belgicæque*
*Principes,*
*Tutelari ſuæ ac ſuorum Divæ,*
*Poſt civilia quadraginta ampliùs annorum bella*
*Pacatis Belgicæ Provinciis,*
*Publicæ gratitudinis ergò*
*Hanc Baſilicam à fundamentis*
*Excitarunt.*
*Anno partæ ſalutis, 1609.*

*Põtifices nonnulli dicti Pii.*

*Breniar. 11. Iulii, Pius Pa- da Martyr*

*Pius IV.*

Neque hic reticendum , Summos Pontifices nonnullos Pii nomine in ſui inauguratione ſacra fuiſſe inſignitos, pietateque fuiſſe inclytos. Præter illum qui pietatem ſuam etiam ſuo ſanguine per martyrium ſanxit ( de quo Breviarium Rom. ) celebris fuit Pius quartus , antea dictus Ioannes Angelus Mediceus; de cuius electione cùm ageretur in Cardinalium conclavi , apparuit Columba liberè circumvolitans, ac deinde eius vertici inſidens. Quam rem haud aliter prudentes interpretati ſunt, quàm Eccleſiæ primatum illi portendi. Sic electus eſt (quaſi alter Fabianus Pontifex , qui etiam per Columbam deſignatus fuit ) & Pius quartus nominatus eſt.

*Pius V. vere pius erga B. Virgin.*

Celebris quoque eſt Pius Quintus , ob pietatem eximiam & fortitudinem , qua ſe in ſummo faſtigio geſſit, de quo hic verſus lucem vidit:

*Quinque fuere* Pii *poſt Divi tempara* Petri.
*Sed quintus Felix dicitur atque Pius.*
*Nam* Pius *hæreticis charum d fendit Ouile:*
Felix *cum Turcis maxima bella gerit.*
*O pia proſperitas, pietas ô proſpera quæ ſic*
*Commiſſum duplici ſervat ab hoſte gregem.*

*Beatiſs Virgo poſt filium dicitur. Pia per excellentiam.*

Hic pientiſſimus fuit erga Virginem Deiparam, cuius ope inſignem illam victoriam tulit de Turcis anno 1571. propter quam inſtitutum eſt Feſtum S Mariæ de Victoria primâ Dominicâ Octobris, quod eſt primarium Feſtum in Sodalitio Roſarij. De qua re paſſim Libelli de hoc Sodalitio in lucem editi.

Itaque omnes qui Pii nomen vel agnomen ſunt ſortiti ob virtutem pietatis, illam hauſerunt ab ea, cui nunc dicimus cum emphaſi, O Pia! Et hæc nimirum eſt, cui hic Titulus per excellentiam competit poſt Filium , & per Filium , cui etiam Poëta canit;

*Quæ tua ſit pietas, nec littera, nec dabit ætas.*

Hoc quoque eam nomine compellare nos docet S Anſel. his verbis eam invocan lib. de excellent. Virginis: *Pie Domine, parce ſeruo Matris tuæ , Pia Domina, parce ſeruo Filii tui. O tu illa piè potens , & potenter pia Maria, de qua Fons eſt ortus pietatis & miſericordiæ, nec contineas precor tam veram miſericordiam, vbi tam veram agnoſcis miſeriam.*

*Exemplũ pietatis illius in derelictos.*

Valentiæ colitur B. Virgo in quadam Imagine, quæ intitulatur *Noſtra Domina Derelictorum.* De qua illud mirabile fertur , quòd cùm aliquis ſubmergitur, vel circa pietatem trucidatur , audiuntur in armario quo clauditur dicta Imago , certi ictus. Et eadem miraculosè prodit locum homicidij, & quo loco ſit cadaver , vel trucidatum , vel ſubmerſum. Attende ergo his effectibus , quàm Piam Matrem ſe oſtendat Maria erga derelictos. Anno 1608. 28. Iunij, cùm quidam ob homicidium duceretur ad patibulum , in itinere poſtravit ſe in genua coram Sacello , in quo iſta conſervatur Imago, obnixè Virginem deprecans , ne ſe in illa extrema hora deſereret. Vix verba finierat , cùm ab ea , licet armario concluſa , reſponſum redditur quinque ictibus , qui ab vniverſo populo auditi ſunt. Et cùm iterum genuflecteret Deiparæ gratias acturus pro ſigno exauditionis dato, iterum auditi ſunt quinque ictus, vt prius. Huic Imagini devotiſſimus erat B. Gaſpar Bono, ex Ordine Minimorum, vir celebris ſanctitatis , admirans coram ea frequenter Virginis Deiparæ illam in derelictos pietatem, venerans potenter piam, piè potentem Mariam.

*Iulii.*

SEC. XII.

## O DVLCIS VIRGO MARIA

*S. Bern delectatus ſēper Cantico Salve Regina.*

REferunt multi hiſtorici de S. Bernardo, plurimum delectatum fuiſſe hoc cantico, *Salve Regina*, quod & aliquot Concionibus ad ſuos Religioſos explanavit in gratiam Reginæ noſtræ cæleſtis. Cum autem in Spirenſem Civitatem Imperialem Legatus veniſſet, negotiorum quorundam graviſſimorum gratiâ, perhonorificè à Clero exceptus fuit, & invitatus & deductus in templum Cathedrale Beatiſſimæ Virginis Mariæ maxima plebis multitudine ſubſequente. Cum autem ſcirent iſtud Canticum in delicijs eſſe, publicè cum harmonia decantatum fuit, ipſomet S. Bernardo ter poſitis genibus luccinente: *O clemēs, ô pia, ô dulcis Virgo MARIA!* in cuius rei memoriam, hæc ipſa verba tribus inciſa æreis laminis jſdem locis quibus genua flexit, adhuc hodie viſuntur; & quotidie Canticum iſtud in organis benè ſonantibus, concentu muſico decantatur, etiam concurrentibus ad eam harmoniam hæreticis plerisque.

*Spiræ in Cathedrali Ecclesia B. V. hæc verba, habentur inciſa tribus æreis Laminis, loco quo S. Bernardus flectens eadem vſurpauit, Poſt nomē IESV nullum dulcius MARIÆ.*

Nos porrò non in laminis æreis, ſed in laminis cordis noſtri inſculpta geramus hæc verba amoris & pietatis plena: *O clemens, ô pia, ô dulcis Virgo Maria!* vt ad pietatem & amorem Deiparæ Virginis Matris noſtræ nos excitent. Etenim poſt nomen Iesu nullum dulcius ſuaviuſque nomine MARIÆ, quod clementiam, pietatem, dulcedinem ex ſeipſo ſpirat, & mentibus cordibusque noſtris adſpirat, dum illud rememoramus & ruminamus. Hinc Viri ſancti vtrumque illud nomen & cordi & carni ſuæ inſculptum optarent geſtare, vt Matri & Filio poſſent dicere: *Nomen tuum memoriale in deſiderio animæ.* Alij ita cordi & menti illa dulciſſima nomina habuere fixa, vt licet in morbo extremo mente capti eſſent ob ardorem febris, & ægritudinis vim, tamen non potuerunt horum ſacratiſſimorum nominum oblivisci, cæterorum omnium obliti.

*Raderus in vita eius Theodoricus Caniſius in morbo omnium nominis ſui oblitus præter nomina IESVS & MARIA. Idem dicitur Alexandro Oliua Carmeli*

Sic referunt de Theod. Caniſio quòd cùm apoplexia omnem eius memoriam abſtuliſſet, ita vt non ſolum litterarum omnium, ſed etiam proprij nominis ſui obitus eſſet, duo tamen ſalutis nomina IESVM & MARIAM ſemper expeditè pronūciaſſe, & ſcripta legiſſe, cùm alia neutiquam legere valeret. Et quidem vſque ad mortem hæc ei nomina pro ſymbolo fuere, quia hæc ſola revolvebat, de quo quidam ſic cecinit.

*Ingenium triſtis deleuit nobile caſus,*
*Et rapuit quidquid legerat ante labor:*
*Nomina bina tamen, morbus quæ ſalua reliquit,*
*Plus potuère, omnes, quàm docuère Scholæ.*

Idem referunt de Alex. Oliua Card. Æger enim & mente captus, nihilominus Beatiſſimam Virginem Mariam ſemper habuit in ore, dicens eam ſibi nocte dieque aſſiſtere. Interrogatus, num timeret mori? *Quid, inquit, timeam, qui ad nuptias eo*, idque ſæpe auditus eſt repetere, ire ſe ad nuptias Agni, deducebat eum dulciſſima Virgo Maria, cui à puero conſecratus fuerat. Cum enim triennis in fontem cecidiſſet, & exanimis indè eductus fuiſſet, Mater ad Deiparam ſe convertit, eius opem implorans Templum ingreſſa cum puero, ibique vitam recepit Altari oblatus. Vnde & Sacellum erectum eſt in dicto fonte, miraculi monumentum.

*Ordinis S. Augu.*

De P. Fran. Binans referunt Chro. Mini. eum ita affectum fuiſſe Deiparæ, cuius opem ſingularem ſæpè expertus fuerat; vt nomen MARIÆ, ſicut & IESV, ſcalpello ſibi ſculpſerit in pectore, non ſine acutiſſimo cruciatu; quem libens perferebat præ deſiderio circumferendi etiam in corpore ſigna illius quam maximè adamabat, & dulciſſimè colebat.

*P. Franciſcus Binans ex Ordine Minorū nomen IESV & MARIÆ ſculpſit ſibi in pectore.*

Teſtatur eadem Chronica de Iacobo Barbuto, eiuſdem Ordinis alumno, ita ei in delicijs fuiſſe hæc nomina dulciſſima, vt ex eius mortui ore prodire viſa ſint tria Lilia inſcripta pulcherrimo charactere ſanctis nominibus IESV & MARIÆ.

*B. Ioſcionis pietas erga nomen MARIÆ.*

Notum eſt de S. Ioſcione in S. Bertini Monaſterio propè Vrbem S. Audomari, quam dulciter fuerit affectus Beatiſſimæ Virgini, & nomini eius, MARIA, in cuius honorem recitabat quotidie quinque Pſalmos, qui exprimunt initiales litteras nominis Mariæ, *Magnificat, Ad Dominum; Retribue, In conuertendo, Ad te leuaui*, præmiſſa Salute Angelica. Hanc in Virginem pietatem mirū prodigium approbauit. Nam ex defuncti capite quinquæ roſæ purpureæ prodierunt, in quarum prima nomen MARIÆ apparuit: vna ex ore, duæ ex oculis, duæ ex auribus prodibant, & populus vniverſus id miraculi vidit. Illa quæ ex ore educta erat (reliquis paulò poſt evaneſcentibus) cryſtallo incluſa, & in Altari repoſita diu toto mundo atteſtata eſt B. Ioſcionis erga Mariæ nomen dulciſſimam pietatem. Adhuc hodie in Monaſterio S. Bertini extat Tabella ad Aram appenſa, huius rei fidem publicè faciens. Non ergo neceſſe habet vlterius inquirere Vates, & dicere.

*MARIÆ nomen inſcripti Floribus, Et Lapillis.*

*Dic quibus in terris, & eris mihi magnus Apollo.*
*Naſcantur Flores inſcripti nomina Regum.*

Ecce enim in terra noſtra Flores apparuerunt inſcripti regio nomine IESV & MARIÆ. Nec ſolum flores, ſed & lapilli inventi ſunt hoc nomine cælitus inſculpti.

Audi Io. Niderum D. ſic referentem. Cum Sententiarum Magiſtrum Viennæ legi, venit eò filius Regis Luſitani D. Petrus cum exercitu multo iturus in terram ſanctam. Eum autem audiui dicentem, ſuo tempore in terra Sacramentorum circa Septam Africæ civitatem à Patre ſuo captam, in fonte quodam repertos varios lapides, quibus inſita erant nomina noſtræ Fidei & Incarnationis Chriſti. Nam in quibuſdam lapillis *Ave Maria*, in alijs *Gratia plena*, in quibuſdam *Dominus tecum* legabatur, ita vt de Chriſti Incarnatione plura ſparſim legerentur claro intuitu.

*Nider lib. 4. cap. 6. Formicarii.*

Illud

Illud etiam præclarum quod de Alphonſo à Spina Viro Apoſtolico tradit Gonzaga, Tract. de Relig. Seraphica. Poſt 24 Conciones habitas de Nomine IESV, cùm ſecum meditabundus volueret, an fructum feciſſet, monitus fuit cœlitùs, vt ſitulam in puteum Valleſoletani Conventus, vbi agebat, dimitteret, & aquam hauriret. Quod cùm feciſſet, invenit 24 lapillos ſubalbos, IESV Nomine inſignitos, iuxta 24. ſuas Conciones. Vndè confirmatus totis nervis Prædicationis Officio incubuit. Adhuc hodiè nonnulli ex dictis lapillis ſeruantur in Sacrario Valleſoletano, alij diuerſis Principibus in munus miſſi ſunt, ait Martyrol. Franciſcanum.

*Cauſa quare B. V. vocetur dulcis*

Cæterum, hic Titulus, *O Dulcis Virgo Maria*, eximiè ei convenit, & pijs ſapit; vndè & paſſim audimus ad eam invocantibus, *O Douce Vierge Marie*: Multis autem titulis vocatur Dulcis Virgo Maria, & Mater dulcedinis.

*1. Gaudet nos ſibi in filios adoptare.*

Primò, quia ſuaui amore nos ſibi in filios gaudet adoptare, vtpotè à Filio ſuo commendatos in Teſtamento Crucis, in perſona S. Ioannis, *Ecce Filius tuus. Ecce Mater tua.* Ex illa enim hora ſuauiſſimus affectus maternus ei transfuſus fuit in omnes quibus datum eſt *filios* Dei *fieri*, *non ex voluntate carnis, nec ex voluntate viri, ſed ex Deo*, per ſpiritualem ſcilicet natiuitatem, quam habemus non ſolùm per Verbum Caro factum, ſed & per verbum illud, quo in Cruce moriens nos Matri ſuæ filios conſignauit. Cùm die quodam legeret S. Mechtildis illud Evang. *Stabat iuxta Crucem IESV Mater eius*, vbi ad illud pertigit, quo Ioannē Matri Chriſtus commendat, affectuosè orauit, vt & ipſa eidem commendaretur. Illicò Chriſtus eam tradit in manus Matris, dicens: *Ego hanc commendo tibi vt plagas meas: & quaſi ſaucius an e te iacerem, conante te vulneribus meis mederi, ſic eius curam ſuſcipe, & ſolare vbi opus erit. Iterum tibi commendo quaſi Sanguinis mei pretium; & memor eſto quanti eam feci, cuius amore mortem obij. Denique commendo tamquam cordis mei delicias, quia noſti delicias meas eſſe cum filijs hominum.* Addidit Chriſtus ſe optare idē præſtare cuicumque qui id ipſi optarit.

*In vita Mecht. li. 5. cap. 20.*

*2. Omnes ad ſe invitat.*

Secundò, ideò *Dulcis Virgo Maria*, *& Mater dulcedinis*, quia omnes ad ſe invitat dulciſſimo affectu dulciſſimiſque verbis, etiam peccatores à ſe & à Filio averſos. Hæ ſunt enim eius voces cunctos concernentes: *Ego ſum Mater pulchræ dilectionis, & agnitionis, & ſanctæ ſpei. Tranſite ad me. Spiritus enim meus dulcis ſuper mel, & hæreditas mea ſuper mel & fauum.* Hæc iterum eſt vox illius: *Nunc ergò filij mei audite me Beati qui cuſtodiunt vias meas & obſeruant ad poſtes oſtij mei. Beati qui vigilant ad me quotidiè, &c.* Quid ſuauius, quid dulcius, vt alliciat ad ſe etiam errantes, & revocet à vijs prauis ad viam veritatis? Rurſus vox illa ipſius etiam eſt, ſicut & Filij: *Revertere, rovertere Sunamitis, revertere, revertere, & intueamur te.* Magis quàm vlla Mater nos adamat & noſtræ gerit curam ſalutis. Si Mater poteſt obliviſci infantis, ipſa nequit noſtri obliviſci.

*3. Omnes ad ſe trahit, protegit, inſtruit, & ad cœlum perducit.*

Tertiò verè *Dulcis Virgo Maria & dulcedinis Mater* multis, quos à puero ad ſe attraxit, & ad ſui cultum tranſtulit, ac quaſi gremio fouit, pallio protexit, ſapientia inſtruxit, & tandem in gloriam introduxit. Teſtes huius dulcoris ſunt S. Bernardinus, S. Edmundus, S. Hermannus dictus Ioſeph, quibus à teneris annis mira ſuauitate affecta fuit Maria, miraque familiaritate, virgineo voto eos ſibi coniungens & deſponſans. Vndè horum poſtremus ab eo Ioſeph eſt vocatus ſæpiſſimeque viſitatus, & ſtupendis fauoribus affectus. Cùm quadam die reſpiciens ad ſummam Aram vidiſſet Deiparam Filium geſtantem, auſus fuit dicere: *Da mihi, Dulciſſima, Filium tuum.* Dedit verò illa, & dixit: *Porta Filium meum ſicut olim in Ægyptum à Ioſeph portatus eſt, vt ſicut idem onus, ita & ſimilem obtineas honorem.* Per cubiculum eius quandoque Maria ſpargebat roſas ſuauiſſimi odoris, quas ipſe pretioſiſſimè recolligebat, & reverenter in calice collocabat. Hinc & Mariam ſolitus fuit ſuam vocare ROSAM & LILIVM. Verè poterat ipſe dicere ex affectu intimo: *O Dulcis Virgo Maria.*

Teſtes etiam huius dulcoris ſunt multæ Virgines, quæ ab ineunte ætate ei adhæſerunt, & ſpecialem eius benevolentiam per varia beneficia ſunt expertæ. Talis fuit S. Tereſa à duodecimo anno eam in Matrem eligens, & in locum Matris recens defunctæ conſtituens. Talis & S Catharina Senenſis mira dulcedine erga Deiparam affecta ab infantia, nam & quinquennis per ſingulos gradus domus aſcendendo vel deſcendendo flexis genibus illi Salutationem Angelicam offerebat; & Angelico miniſterio ſic ferebatur, vt vix pedibus gradus tangeret. Septimo quoque anno Deiparæ conſecrauit ſuam virginitatem. Vndè & ſuaui familiaritate, & dulciſſimis viſitationibus ab ea fuit viſitata; nam & eam deſpondit Chriſtus viſibiliter annulo in digitum inſerto, Matre hortante & præſente cum frequentia Angelorum. An non ergò & ipſa poterat meritò illud repetere: *O Dulcis Virgo Maria!*

His accenſe B. Margaretam Hungarici Regis filiam, ex Ordine S. Dominici, quæ cum lacte pietatem erga Mariam ſuxit: item B. Agnetem de Monte Politiano, ex eodem Ordine, quæ trinulam Salutationem Angelicam mira pietate frequentiſſimè & dulciſſimè recitabat, Deiparæ familiaritate ſuauiſſima poſtmodum gaudens. Adde & Sanctam Mechtildem cum ſorore ſua Gertrude, quæ quinto ætatis anno oblatæ fuerunt Deo & Sanctiſſimæ Dei Genitrici in quodam Monaſterio Sancti Benedicti in Saxonia, & multis apparitionibus Beatiſſimæ huius Matris maxima cum conſolatione illuſtres fuêre, vt patet ex eorum vita. Hæ igitur omnes iure potuêre illud occinere: *O Dulcis Virgo Maria!*

*4. Dulcis B. Virgo quia nonnullos iure lactis ſui refeſſecit.*

Quartò, verè *Dulcis Virgo Maria*, *& dulcedinis Mater* erga eos, quos ſacrati lactis ſui rore dignata eſt reficere; quod de Bernardo notum eſt per illa verba Deiparam Virginem deprecante, *Monſtra te*

*eſſe Matrem.* Ex qua quidem lactis participatione hauſiſſe creditur miram illam ſuauitatem, quam in ſcriptis ſuis præfert', maximè cum agit de Deipara Virgine. Dicat ergò meritò Bernardus: *O Dulcis Virgo Maria!* Dicat & Fulbertus Carnotenſis Epiſcopus eodem lacte potatus, & ſanatus: *O Dulcis Virgo Maria!* Repetat idem B. Alanus à Rupe, eodem beneficio à Virgine affectus, dum contemplationi vacaret: quem & ipſa elegit tamquam ſui Roſarij nouum Præconem, dato annulo ex crinibus ſuis ſacratiſſimis mirè confecto, & immiſſo in collum eius Roſario, quaſi torque aurea. Dicat & omnis Chriſtianus inter Chriſtum Crucifixum & Virginem Deiparam collocatus cum S. Auguſt. *Hinc paſcor à vulnere: hinc lactor ab vbere: Poſitus in medio, quò me vertam neſcio.* Poteſt enim quilibet ſugere ſpiritualia eius vbera, & dicere: *O Dulcis Virgo Maria!*

*Reliquiæ de lacte Virginis aſſeruantur Venetijs.*

Certè videtur Deus & Deipara voluiſſe, vt nonnullis in locis permanerent & colerentur Reliquiæ de lacte eius ſacro, vt meminerimus frequenter dulcedinis, qua Filium ſuum lactauit in terris, ſimulque lactis ſpiritualis, quo filios ſibi devotos modò lactat è Cœlis.

Gaudent Veneti duobus præclaris Virginei lactis pignoribus, quorum quidem alterum eò Conſtantinopoli tranſmiſſum eſt cum varijs Reliquijs tempore Ducis Henrici, & in Parochiali S. Simeonis Æde in ampulla aſſeruatur. Alterum eſt in Ducali Sancti Marci Templo in ſimili etiam ampulla. Hic verò Theſaurus cum inſigni multarum Reliquiarum copia, tum Saluatoris noſtri atque adeò eius Sanguinis, tum eiuſdem Virginis Mariæ, & aliorum Sanctorum retectus fuit anno 1617. in quodam concauo Sacrarij Templi iſtius pariete. Omnia autem ſacra illa Monumenta in laudem Chriſti & Deiparæ Mariæ illo anno in celeberrima Proceſſione delata ſunt, qua nulla Venetijs conſpecta fuit aut ad plauſum feſtiuior, aut ad ſplendorem illuſtrior, aut ad pompam auguſtior. Videri poteſt Hiſtoria ea de re impreſſa Venetijs anno dicto.

*In Belgio.*

Gaudent & nonnullæ Eccleſiæ Belgicæ Lacte Virgineo: & cum ſuaui pietate piaque ſuauitate illud colunt in memoriam Deiparæ & dulcis Virginis Mariæ. Ideoque illud ei meritò monentur ſpeciali cordis devotione decantare: *O clemens, ô pia, ô dulcis Virgo Maria,* in Myſterij Incarnationis recordatione per Mariam peracti.

*In Apulia.*

Illud hìc non tacendum, quod ex litteris Neapoli datis anno 1617. conſtat accidiſſe in Apulia. Oppidi cuiuſdam incolæ nomine Mirabelli (vicini illis locis quæ terræ motu abſorpta ſunt ducentis millibus capitibus in Apulia tunc peremptis) ad Deum placandum ſolemnem inſtituerunt Proceſſionem, & ampullam de Lacte Virginis Mariæ continentem detulerunt. In Templum regreſſi, omnes elata voce Matrem miſericordiæ invocarunt. Atque illicò viſa ſunt eius patrocinantis ſigna: Lac quippè ſpumare, & augeri, & ampullam implere cœpit. Immò ipſa Lilia Altari ſuperpoſita omninò arida ſtatim refloruêre, & virore priſtino reſumpto ita crevére, vt totum penè Altare, ſtupentibus omnibus, occuparent, & ornarent. Res ſanè memoratu digna, qua videtur Deus voluiſſe inſinuare propter Virginis pietatem & puritatem ſe eorum precibus & ſupplicationibus deferre ad ipſorum conſeruationem. Potuêre ergò & hi meritò tunc illud decantare: *O clemens, O pia, O dulcis Virgo Maria!*

*Denique dulcis B. V. multos in morbo inuiſendo, ſanando, & in morte aſſiſtendo.*

Poſtremo dicamus, quod ſatis conſtet, quam dulcis ſit Virgo Maria, quæ multos ſibi devotos in ægritudine viſitauit: & ſanauit, vel in morte affuit & adjuuit, vel morientes vlnis excepit, vel in Purgatorio exiſtentes tandem liberauit; quorum omnium nonnulla protulimus exempla, ſed & ſunt innumera alia. Igitur hi omnes tota decantabunt æternitate: *O clemens, O pia, O dulcis Virgo Maria.* Nil canitur iucundius, nil auditur ſuauius, nil cogitatur dulcius, ſive in cœlis, ſive in terris, quam MARIA & IESVS eius Filius. Nomen Mariæ ſicut & Ieſu eſt refrigerium laſſis, ſolatium afflictis, leuamen ægris, vnctio pijs, ſpes peccatoribus, lumen in tenebris, robur infirmis, auxilium tentatis, ſalus in periculis, portus in naufragijs, tabula in fluctibus, vox elata & dulcis in hora mortis omnibus Chriſtianis. Felix qui devoto corde potuerit dicere in illa hora: *O Dulcis Virgo Maria.* Hoc mihi impetra, ô Mater pia, vt ijſdem verbis, quibus finio laudis tuæ Canticum, finiatur & vita mea, ſuſcipiaturque vlnis clementiæ & benignitatis tuæ anima mea Filio tuo à te præſentanda poſt hoc ærumnoſum exilium. Nimirum poſt Chriſtum Filium tuum in te tota ſpes, tota fiducia mea, O Clemens, ô Pia, ô Dulcis Virgo MARIA.

*Nomina IESVS & MARIA ſæpius inuocanda.*

*Hic verſus explicabitur amplè in fine Tractatus quarti.*

Verſus concludens.

*Ora pro nobis Sancta Dei Genitrix,*
*Vt digni efficiamur promiſſionibus Chriſti.*

OREMVS.

*OMnipotens ſempiterne Deus, qui glorioſæ Virginis Mariæ corpus & animam vt dignum Filij tui habitaculum effici mereretur, Spiritu ſancto cooperante præparaſti, da, vt cuius commemoratione lætamur, eius pia interceſſione ab inſtantibus malis, & à morte perpetua liberemur. Per eundem Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.*

(*,*)

# QVADRIGA MARIÆ AVGVSTÆ.

## TRACTATVS II.

*PIE ELVCIDANS ANTIPHONAM MARIANÆ Laudis, quæ cantatur ab Adventu uſq; ad Purificationem.*

## INTRODVCTIO.

HÆc Antiphona incipit ALMA REDEMPTORIS MATER, Verſu conſtat Hexametro, & piè rememorat Myſterium Incarnationis & Nativitatis Domini ex Maria ſemper Virgine. Quis eius Auctor ſit, non ita certum eſt. Plerique tamen eam adſcribunt B. Hermanno Contracto, ſicut & Antiphonam *Salue Regina*, & Hymnum *Aue maris Stella*, vt dixi in Procemio illius Hymni. Quam devotus fuerit ipſe Beatiſſimæ Virgini, quantæque doctrinæ & pietatis, per eam cœlitus acceptæ, hîc non repeto; ibi namque ſufficienter id oſtenſum fuit. Ad elucidationem breuem & piam procedo è veſtigio; Tu faue, ô Mater Sapientiæ, vt pienter & ſapienter aliquid in tui Nominis gloriam ediſſeram.

SECT. I.

### ALMA REDEMPTORIS MATER.

*Vox Alma varia ſignificat.*

*1. Idem eſt quod clara illuſtris.*

NOmen *Alma* quandoq; idem ſignificat apud Latini ſermonis gnaros, quod Illuſtris & Clara: hoc ſenſu dicitur apud Donatum & Virgilium lux alma, dies almus:

*Præterea, ſi nona diem mortalibus almum*
*Aurora extulerit.*

*Lib. 2. de Virgin.*

Hoc ſenſu in Virginem Deiparam convenire per excellentiam, nemo ambigere poteſt, qui attenderit illud S. Amb. *Quid ſplendidius ea quam ſplendor elegit?* Illuſtris ſanè & clariſſima, ſive generis & ſtemmatis regij claritudinem, ſive virtutum proſapiam & ſpeciem promicantem, ſive vitam inclytam cunctas Eccleſias illuſtrantem, ſive gloriam toto Orbe rutilantem conſideremus. Poſſumus ergò in hoc ſenſu meritò illi inclamare: O Mater alma, ô Mater ſancta & pulchra, ô Mater illuſtris & præclara!

*2. Alma idē quod abſcondita.*

Vlterius *Alma* apud Hebræos, ſive cum adſpiratione *Haalma*, idem eſt quod *Abſcondita*. Hoc ſenſu etiam in Virginem Deiparam quadrat quàm maximè & excellentiſſimè; quia hæc eſt Mater abſcondita, in qua magnum pietatis Myſterium à ſæculis abſconditum peractum eſt in abſcondito, ſolo ſcilicet conſcio Angelo, & Deo, qui ideò vocatur *Deus abſconditus, Deus Iſrael Saluator*, abſconditus in carne, abſconditus in vtero Mariæ, abſconditus in Arca Virginali firmiſſimè obſignata. Ergò & hîc dicere poſſumus, ô Mater alma! O Mater abſcondita! O Mater hominibus incognita! O Mater in conclaui obſerata & abſcondita! ſed tamen Deo & Angelo nota, & tandem toto Orbe revelata; vt agnoſcereris & honorareris in terris, quæ ſolùm agnita eras anteà in Cœlis, vt & ſic *à Solis ortu vſque ad occaſum veri Regis generatio coruſcaret.*

*Iſa. 25.*

*D. Leo.*

*3. Alma idē quod fœcunda.*

Denique *Alma Mater* ab alendo dicta, idem eſt quod fœcunda, & altrice virtute prædita. Hæc eſt proprijſſima ſignificatio. Hoc verò epithetum antiqui Terræ ſpecialiter convenire dixerunt, ita vt Terra quæ frugibus ſuis homines alit, tamquam Dea ſit reputata ab eis, & vocata ALMA CERES; & exindè ad Matres prole fœcundas, quæ eas alunt copiosè & ſplendidè, vox iſta translata eſt ALMA MATER. De hac re copioſiùs diſſerit Magiſter de proprietatibus rerum, vbi ſic ait: *Antiqui Gentiles conſiderando fœcunditatem terræ, eam pro Dea adorantes, talem ei imaginem fecerunt. Erat magna Imago fœminæ, quæ* MATER ALMA *nuncupabatur, habens Coronã in capite: ſupra currum poſita erat, & ei ſubijciebantur Leones: in vna manu portabat clauem, in alia cymbalum: Huius aurigæ vibratos geſtabant gladios: & Galli Matronam in curru ſedentem ſequebantur. Hanc Imaginem ſic applicat Terræ ibidem Magiſter. Terra Mater fuit dicta, quòd multa pariat, & omnibus mortalibus cibum generet. Dicitur etiã Mater Alma, & quòd alat elementa, vt dicit Iſidorus. Coronã geſtat in capite, quia multis ciuitatibus inſignitur. In curru rotato vehitur & ſedet, quia cùm omnia elementa moueãtur, ipſa ſola immobilis manet, ſcilicet ſecundũ ſe totam. Leones ei ſubijciuntur, quia nullum eſt genus ita ferox, quin per mortem terræ ſubijciatur. Clauem manu geſtat, quia hyeme clauditur, & æſtate fructus producendo aperitur. Manu etiã portat cymbalum, quo ferramentorum ſtrepitus in colendis agris ſignificatur. Eius aurigæ gladios portant, quia pro terra acquirenda, vel defendenda ſæpè bella gerũtur. Galli eã ſequuntur, quia omnes aues & volatilia eius indigent nutrimento.*

*li: 14. c. 4. Deſcriptio imaginis terræ à Gentilibus.*

*Michael Ayguanus in Pſ. 66. B Virgini applicatur.*

Hanc porrò Terræ imaginem ſic applicat Mariæ Incognitus in Pſal. 66. *Ipſa eſt velut fertilis Terra, & fœcunda Mater, quia non ſolùm Mater Dei eſt & hominis, ſed & omnis gratiæ & virtutis, Mater gratiæ, Mater miſericordiæ, Mater pulchræ dilectionis, & agnitionis, & ſanctæ ſpei. Coronam geſtat in capite, quia eius mens omni decorata fuit virtute. Duodecim ſtellis in Apoc. coronata exhibetur, in quibus 12. eximia privilegia commendantur, quatuor corpori, quatuor animæ, quatuor vtriq; communia. Quoad corpus intacta concepit, illæſa permanſit, incontaminata lactauit, & mortis ſoluto debito ſine dolore, mox ſurrexit. Quantùm ad animam, totidem ſtellis coronatur, quæ ſunt fidei magnitudo, verborũ, quæ dicebantur, conſeruatio, ex paſſione Filij gladij doloris tranſverberatio, compaſſio miſerorum & interceſſio. Quantùm ad totum ex anima & corpore compoſitum: totidem ſtellis fuit coronata: quia in vtero matris ſanctificatione fuit præuenta, ab Angelo fuit ſalutata, in omni ſcientia & virtute fuit decorata, in anima & corpore ſuper Choros Angelorũ eſt exaltata.*

Proſequitur, & vlterius prædictam terræ ima-

ginem Mariæ applicans, ſic dicit: *Imago terræ ſuper currum erat poſita, quia B. Maria ad æthereum thalamum aſſumpta, iuxta Filium eſt collocata. Huic Leones ſubijciuntur, quia omnes Dæmones eius imperio ſubduntur. In manu geſtat Clauem, quia Paradiſi porta per Euam cunctis eſt clauſa, ſed per Mariam patefacta. In alia manu portat Cymbalum, quo omnes excitat ad Dei laudes. Aurigæ eius vibrant gladios, quia eius deuoti exemplo ipſius proprium macerant corpus, omnia in ſe occidentes vitia. Addo ego, quia multi eam circumdant cum gladio Verbi Dei, vt eius tueantur honorem contra infideles & hæreticos, ſimiles illis, de quibus dicitur alicubi: Sexaginta fortes ambiunt lectulum Salomonis, omnes ad bella doctiſſimi.* (Cant. 3.) *Deniq; Galli ipſam ſequuntur, quia Prædicatores per Gallos figurati ipſam ſubſequuntur, ſemper in prædicationibus eius inuocationem præmittentes.*

Itaque B. Maria Mater alma eſt, quia eſt Terra illa fœcunda, de qua frequenter Prophetæ prædixerunt, Terra ſcilicet illa de quo Iſaias orat: (Iſa. 45.) *Rorate Cœli deſuper, aperiatur Terra, & germinet Saluatorem.* (Iſa. 4.) Et rurſus alibi: *In illa die erit germen Domini in magnificentia, & gloria, & fructus terræ ſublimis, & exultatio his qui ſaluati fuerint de Iſrael.* Ipſa eſt Terra illa, de qua Rex & Propheta canit conformiter Iſaiæ: (Pſal 84:) *Etenim Dominus dabit benignitatem, & Terra noſtra dabit fructum ſuum.* Et iterum alibi: (Pſal. 66.) *Confiteantur tibi populo Deus, confiteantur tibi populi omnes, Terra dedit fructum ſuum;* Fructum ſcilicet expectatum tam diu, fructum toti terræ ſufficientē, fructum etiam cœlo glorioſum. Procul ergò fictitia Dea terræ Alma Ceres. Tu, ô MARIA, Diua es terræ; Tu noſtra ab omnibus colenda Ceres; Tu Alma Mater es, quæ fructum protuliſti terris cœliſque optatiſſimum & omnibus neceſſarium.

Audiamus & de hac re S. Bernardum de Maria diſſerentem: (Gen. 2.) *Hæc eſt Terra, de qua ſcriptum eſt: Terram non operabatur quiſquam, ſed irrigabatur à Fonte aſcendente de Paradiſo. Terra quippè hæc non accepit operationem humanam, vt conciperetur in ea Filius Dei, ſi aquâ Spiritus ſancti irrigata fuit. Ita enim legis, Spiritus ſanctus ſuperueniet in te. Rurſum de hac Terra ſcriptum eſt: Aperiatur Terra, & germinet Saluatorē. Aperta quippè fuit per fidem credēs & obediens Angelo, germinauitq; vitā ſalutarem, & Saluatorem noſtrum æternæ vitæ præmia largientem.*

*B. Virgo fœcunda Mater duplici titulo.*

Neque verò Deipara Maria vnica ratione Alma, ſiue fœcunda Mater appellatur, ſed duplici. Nam primò quidem Alma & fœcunda Mater eſt propter Redemptorem, quem genuit, lactauit, educauit, qui millenis filijs melior eſt, etſi ſolus eſſet; ideoque vel propter ipſum meritò Alma genitrix, nutrix, altrix dici debet inter omnes. Propterea dixit Poëta Christo:

*1. Quia eſt Mater Redemptoris.*

*Nec Genitrice tua fœcundior vlla parentum,*
*Tot bona per partum, quæ dedit vna ſuum.*

Conſiderans B. Hermannus Ord. Sancti Dominici hanc fœcunditatem beatam, propter quam Maria vocatur hîc *Alma Redemptoris Mater*, benedicebat miro ſuauitatis & amoris affectu eius ſingula membra, meditatione pijſſima nobis ſanè imitanda. 1 Benedicebat eius ſinum & viſcera cœlis capaciora, quæ nouem menſibus omnem in ſe cœli magnitudinem, Deum ipſum immenſum, concluſiſſent. 2. Benedicebat illud cor virgineum, quod fide admirabili ſupra omnem Angelicum captum fidei noſtræ myſteria ſublimiſſima conceperat, & velut Sanctuarium ſanctiſſimum in ſe concluſerat. 3 Benedicebat caſtiſſima vbera, quibus lactatus fuerat à Matre ſua alma, & de cœlo fœcunda, is qui omnes alit etiam cœlitis. 4. Benedicebat manus ſacratiſſimas, quæ faſcijs illum cinxerant, qui cœlum lumine circumdat velut veſtimento. 5. Benedicebat brachia illa amabilia, quæ portârant illum, qui tribus digitis appendit molem terræ. 6. Benedicebat pectus illud delicioſum, in quo quieuerat ille qui eſt requies Beatorum, & Paradiſi deliciæ. 7. Benedicebat os illud diuinis pueri labijs tam crebrò appreſſum, è quibus ſpiritus ſuper mel dulcis exſiliebat in cor Matris. In his omnibus benedicens & congratulans MARIÆ, cum Angelica Salutatione ad ſingula membra, ſoluebatur in lachrymas pietatis, memor ſuauitatis, quam in his omnibus perceperat Alma Mater Redemptoris. Ex hac externa conſideratione ad internam ſanctitatem Mariæ contemplandam ferebatur, quæ in his myſterijs mirè eluxerat. Admirabatur & benedicebat altiſſimam eius fidem & ſpem, ardentem charitatem, profundam humilitatem, immaculatam puritatem, modeſtiam eximiam, & cætera virtutum lumina ibidem coruſcantia, quaſi in Paradiſo Sanctiſſimæ Trinitatis electo. Concludebat hac oratione ſuauiſſima: *IESV ſuauiſſime, dignare me meam & tuam Matrem ſuper omne ſpecioſam ore laudare, corde admirari, imitatione ſequi.* Quam gratum id fuerit Virgini obſequium ex eo patuit, quòd ei Virgo intelligentiam ſacræ Scripturæ, & myſteriorum eius ſpecialiter impetrârit, & linguam eius aliàs tardam & balbam ad concionandum diſertè præparârit. Quare maximum fecit fructum, cum in Polonia, tum in Germania, in conuerſione animarum, ſocius Sancti Hyacinthi. De eo etiam fertur, quòd cùm aſſiduus foret in meditatione Paſſionis, & illud cum lachrymis crebrò repeteret: *Adoramus te Chriſte, & benedicimus tibi, quia per Crucem tuam redemiſti mundum,* Chriſtum die quodam ei apparuiſſe, & ſingulis admotum vulneribus guttas Sanguinis ex ſingulis ori eius inſtillaſſe. Poterat ergò dicere ipſe idem quod Auguſt. *Hinc lactor ab vbere, hinc paſcor à vulnere.*

*2. Quia eſt Mater omnium Electorū.*

Secundò, Maria dicitur *Alma & fœcunda Mater,* quia non ſolùm Redemptoris, ſed & redemptorum & electorum eſt Mater, non enim ſolùm genuit corpus & membra Redemptoris vera & naturalia, ſed etiam genuit corpus eius myſticum, & membra myſtica, ad quę ſpectant omnes electi. Non ſolùm genuit Filium Dei naturalem, ſed & in ipſo &

cum

cum ipſo omnes filios Dei adoptivos. O mirã fœcunditatem propter quam de Maria poſſumus exclamare cum Propheta *Numquid terra parturiet in die vna, aut parietur gens ſimul, Siõ peperit filios ſuos* Maria ſcilicet Sionis filia ſimul omnes electos peperiſſe cenſenda eſt, dum Chriſtum peperit. Gentes in eius vtero continebantur, in illo, & cum illo, tamquam electorum capite, generandi.

*Iſa. 66.*

Propterea Chriſtus dicitur *Primogenitus Matris*? Peperit Filium ſuum Primogenitum, ait Lucas Evangeliſta. Vocatur & ideò *Primogenitus in multis Fratribus*? ab Apoſtolo.

Audi quid hac de re Maria quondam dixerit S. Gertrudi. Quondam die cùm audiret illud in Miſſa cani, *Primogenitus Virginis Matris*, conſiderationi horum verborum intenta, cogitabat intra ſe cõvenientiùs dici *Vnigenitus Virginis Matris*, quod nullum alium genuerit præter illum de Spiritu ſancto conceptum. Cùmque in hac conſideratione hæreret, affuit ei Beata Virgo blandâ voce reſpondens? *Nequaquam Vnigenitus, ſed Primogenitus dulciſſimus Ieſus meus, quem primum clauſo vtero procreavi, & poſt ipſum, immò per ipſum, omnes ipſi in fratres, mihi in filios maternæ charitatis viſceribus adoptando generavi.* Hæc Maria. Propterea igitur Mater Chriſti, ſed & omnium filiorum Dei, honorificè nominatur; & exindè felicitas eius agnoſcitur, propter quam Alma Mater nuncupatur, quia & hos genuit & generat, & alit & portat in brachijs, & protegit & adamat, immo & adhuc parturit, vt eos perfectè tandem generet, & reddat æternitati beatæ, & perducat *ad menſurã ætatis plenitudinis Chriſti, quando occurremus ei in virum perfectum*, vt loquitur Apoſtolus.

*Gertrudis l. 4. c. 3*

*Epheſ. 4.*

---

SECT. II

## QVÆ PERVIA CÆLI PORTA MANES, ET STELLA MARIS.

*Vide Opuſc. noſtrum ſuper Ave Maris Stella Tõ. 2. Opuſc.*

*B. Virgo quomodo pervia Porta.*

HIc Titulus frequenter tribuitur MARIÆ, vt viſum eſt in alijs Cãticis, Hymnis, Antiphonis a nobis latiùs elucidatis. Vndè modò vocatur *Ianua Cæli* in Litanijs Lauretanis, modò *Felix Cæli Porta* in Hymno *Ave Maris ſtella*, modò *Porta lucis fulgida*, modò *Regis alti Ianua* in Hymo *O glorioſa Domina*, iterum *Porta ex qua mundo lux eſt orta*, in Antiphona Ave Regina Cælorum. Nihil ergo hic vlteriùs interpretationis addendum, ſed recolendum ex dictis piâ & memori mente, quàm multis Titulis Maria Cæli pervia Porta nuncupetur, per quam Cælorum Rex ad nos venit, immò & cæleſtia omnia bona; per quam etiam & nos in Cælum regredimur, & ad Sancta Sanctorum intramus. Hæc eſt Oſtium ex Oliva confectum, per quod nobis illuc acceſſus. Oliva ſymbolum miſericordiæ eſt, per quam ipſa nobis aditum facit in Cælum. Atque ideò hæc iterum eſt Ianua, ſiue Feneſtra Arcæ, per quam regreditur Columba Noë cum ramo oliuæ à diluvio jam ſecura, anima ſcilicet candida, quæ ſæpè in Canticis deſignatur nomine Columbæ. S. Carolus Borromæus ordinabat vt in ſingulis Templis in Porta exteriori Imago Virginis collocaretur, ad deſignandum ipſam eſſe Portam Cæli. Si Maria Ægyptiaca converſionem ſuam auſpicata eſt per intuitũ Imaginis Beatæ Mariæ Virginis, in Porta Templi Hieroſolymitani collocatæ, Imago illa fuit illi *Porta Cæli*.

*B. V. Stella Maris.*

Quantum ad Titulum iſtum *Stella Maris*, etiam & illum ſat explicavimus in prædictis Canticis & Hymnis; ideò verò frequentiſſimè Maria attribuitur, quia nomen MARIA idem ſignificat quod Maris Domina, vt plerique ex Hebræo deducunt. Mare elementum eſt ferum exundans, & multos perdens: elementum amarum, turbidum, varium & inconſtans, ideòque à nonnullis ſtultitiæ accuſatum. Hinc refert Antonius Gevara in ſuis Epiſtolis de quodam Fabato Conſule Rheginenſi in Sicilia, quòd numquam è civitate illa intra ſeptuaginta annos voluerit tranſmittere Meſſinam, quæ tamen in portu Siciliæ trans mare ſita eſt, non pluſquam novem milliaribus diſtans. Dicebat enim Navem ſtultam eſſe, cùm ſemper ſe moveat. Nautam ſtultum eſſe, quòd numquam in eodem maneat propoſito, nunc hoc, nunc illud velit. Mare ſtultum eſſe, quia ſemper inquietum. Ventum quoque ſtultum eſſe, quia in dies & horas mutatur. Cùm ergo vnum ſtultum (inquit ipſe) fugiam in terra, quare quatuor ſtultis credam me in mari? Hæc ille, an inſipienter & timidè, an ſapienter & providè, iudicet qui voluerit.

*Mare ſtultum vocatum.*

*Mundus eſt mare turbidũ*

*Pſal. 101.*

*Pſal. 100.*

Dicamus nos, hoc ſæculum in quo agimus, ſimile eſſe mari procelloſo, turbido, tenebroſo, amaro, ſævo, inquieto: quòd modò ſuos cultores ad ſidera tollit, mox ad tartara devolvit: *Eleuans alliſiſti me*, ait Rex Propheta. Et iterum: *Aſcendunt vſque ad Cælos, deſcendunt vſque ad abyſſos, omnis ſapientia eorum devorata eſt*, ait de Rectoribus navis in hoc mari. Quatuor ibi ſtultos eſt repetire mirè agitatos & inquietos. An non Mundus ipſe inquietus eſt vt Mare, & ſuo continuo motu, modò hoc perdit, modò illos? An non Navis corporis noſtri in continua & irrequieta maturatione eſt? Modò benè ei eſt, modò malè; modò friget; modò calet; modò plena eſt, modò vomit. An non Ventus quo ferimur modò proſper eſt, modò adverſus eſt, quaſi ſtultus & vanus? Deinde homo ipſe Nauta eſt varius & inconſtans, qui modò hoc vult, modò aliud vult; modò iubet vela ſuſpendi, modò contrahi; mox ſuſpendet, paulò poſt animum deſpondet. Quid his omnibus inconſtantius? Quandoquidem ergo de hoc mari verum ſit iſtud:

*In mundo quatuor ſtulti.*

*Rector in incerto eſt, nec quid fugiatve, petatve*
*Invenit, ambiguis arte ſtupente malis.*

*Ovid.*

Convertendi ſunt oculi ad *Dominam & Stellã maris*, vt compeſcat tumentes fluctus, vt lucem mõſtret per invia vt pericula & ſyrtes indicet, vt regat

*B. Virgo veluti ſtella reſpicienda.*

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

gat ipſa Navem noſtram, & ad portum ſalutis deducat. Nam navigare neceſſe eſt; ipſâ autem egemus vt Luce & Duce, vt Maris Dominâ & Stella Maris.

Hæc eſt Stella, de qua Beatus Henricus Suſo, Deiparæ ferventiſſimus amator, (eam in gallicinio ſalutans, & laudes ei pangens (ſæpe audire meruit Angelos ſuaviter concinentes:

*Stella Maria maris hodie proceſſit ad ortum.*

Cum his quandoque & ipſe idipſum concinebat, ab eis luce cæleſti perfuſus, & de arcanis ſecretioribus inſtructus.

*Super Bernardinum re picitur ſtella.*

Hæc eſt Stella, de qua Sanctus Bonaventura in Speculo Virginis c.3. *Tolle ſolare hoc lumen, vbi dies? Tolle Mariam hanc maris Stellam quid niſi caligo, vmbra mortis, denſiſſimæ tenebræ;*

Hæc eſt Stella, quæ apparuit Sancto Bernardino prædicanti in vrbe Italiæ, quæ Aquila dicitur. Dũ enim explicaret illud Apoc. 12. *Signum magnum apparuit in Cælo, & in capite eius corona ſtellarum duodecim*, & illud in Virginis laudem applicaret, primam Stellam exponens de eius Virginitate, Sol licet tunc maximè radiaret, viſa eſt ſuper caput Bernardini Stella etiam ſplendidior Sole, quæ ſuos radios in eius faciem fundebat, Quod vniverſus populus ſtupore plenus vidit; tandemque omnibus admirantibus, evanuit. Fuit autem illa Stella ipſa Iesu Mater Maria, ineffabili claritate reſplendens, & indicare volens hunc ſanctum Virũ, ſui cultorem devotiſſimum, eſſe virtutum omniũ ſplendore ornatum, ſed brevi in ea civitate clauſurum diem extremum, ſicque æterna claritate donandum & coronandum: quod ipſa Stellæ deſitio ſignificabat.

*Videtur ſtella circa Capiſtranum.*

Idem contigiſſe ferunt B. Ioanni Capiſtrano in eadem Vrbe prædicanti de Laudibus Beatæ Virg. Mariæ ſuper eodem Themate; apparuit enim Stella miro cum ſplendore exteriùs illuſtrans, ac miro fervore intùs accendens. Et quidem in publicandis Virginis magnalibus totus accenſus & occupatus non advertebant hanç Stellam, donec tumultus factus eſt in populo rei novitate ſtupefacto: tunc enim circumſpiciens advertit illud inſolitum divini favoris ſignum. Et cum poſtridie Romam procederet, ad ſollicitandum pro canonizatione S. Bernardini, hæc eadem Stella rurſus apparuit, & eum Romam vſque deduxit. Fuit ergo & ipſe dignus videre hanc Stellam qui à Deo electus erat ad promovendam Virginis gloriam & Coronam.

Hæc iterum eſt Stella Maria, ſub cuius auſpicijs & Inſignibus militare voluit antiquus Ordo Regum & Principum Franciæ, qui Inſigne Stellæ præferebant in veſte cum hoc Emblemate:

*Ordo ſtellifer inſtituitur in Francia in honorẽ Deiparæ.*

Monstrant Regibus Astra viam. Hic Ordo Stellifer primitùs inſtitutus fuit à Roberto Rege Franciæ ſub annum Chriſti. 1022, in honorẽ Beatæ Virginis (cui Rex mirè erat devotus) ipſo Nativitatis virgineo Feſto, octava Semptẽbris, eo quòd ipſa ſit Stella maris. Ideoque hâc inſtitutione obſecrabat Rex, vt ſui regni ac nobilitatis eſſet ductrix, quaſi præſens Stella. Quare triginta Equites è prima nobilitate in hunc Ordinem adlegit; ſingulisque Torquem aureum cum Stella aurea quinque radijs illuſtri, ad pectus deſcendente, in collum iniecit. Hicque cultor veræ Stellæ maris ædificavit Pariſiis Oratorium noſtræ Dominæ de Stella, in quo convenirent hi qui electi erant de Ordine iſto Equitum, qui ab eo dictus eſt Ordo Equitum noſtræ Dominæ de Stella. Teſtis eſt Iacobus Bzovius in Antiquitatibus Pariſienſibus.

*S. Bern. Homilia 2. ſuper miſſus.*

Denique, hæc eſt Stella, de qua Bernardus: *O quiſquis te intelligis in hoc ſæculi profluuio inter tempeſtates fluctuare ne avertas oculos à fulgore huius ſideris. Si non vis obrui procellis, reſpice Stellam, voca* Mariam, *Si inſurgunt venti tentationum, ſcopuli tentationum, reſpice Stellam, voca* Mariam. *Si cõcupiſcentiæ fœditate confuſus, horrore Iudicii perterritus, barathro incipis abſorberi triſtitiæ & deſperationis, reſpice Stellam, voca* Mariam *Ipſam ſequens non devias, ipſam rogans non deſperas, ipſam cogitans non erras ipſa propitia ad portum pertinges.*

Nonnulli ſimiles ſunt in hoc ſæculo navigantibus in mari periculoſo, qui nimis fidentes malaciæ & tranquillitati, quæ aliquamdiu eis favere videtur, ludunt, cantillant, epulantur ſecurè, vel ſomno indulgent inſtar Ionæ: at mox tempeſtate exorta, caligine inveniuntur circumfuſi & vertigine, ſicque à fluctibus abſorbentur, merguntur, pereunt, & in profundum feruntur ſine luce & duce, ſine cuiuſpiam ope, Tu, ô *Maria Domina & Stella Maris*, inter proſpera & adverſa ſemper dirige Navem noſtram. Ad te oculos jugiter conijcimus, ſive in proſperis rebus, ſive in aſperis; & rogamus vt lux tua numquam nos deſerat, ſed fac vt per illam ſemper poſſumus circumſpicere timidi quæ ante nos, quæ poſt nos, quæ circa nos, & ſicà periculis cavere, donec ad portum facias nos feliciter pervenire. Fac, inquam, vt non ſimus de illorum numero, de quo Poëta:

*Virgil.*

*O nimiùm Cælo & pelago confiſe ſereno,*
*Nudus in ignota Palinure iacebis arena.*

---

*Sec. III.*

## SVCCVRRE CADENTI SVRGERE QVI CURAT POPULO.

*Homo poſt peccatum Adami ad lapſum valde pronus.*

Ab eo tempore quo Adam primus hominum parens, & caput eorum, turpiter cecidit impellente vxore, Evaque eius vxor impellente ſerpente, factum eſt genus humanum multiplici de cauſa ad lapſum pronum Tum quia ex ſe parum firmitatis habet, tum quia in via lubrica & plena offendiculis agit, tum quia multos habet in caſum impulſores, tũ quia in via agit tenebroſa, exiguum lucis habens. Contraxit nimirum infirmitatem ex peccato, ita vt facilè cadat; contraxit ignorantiæ tenebras, ita vt parum videat; contraxit concupiſcentiæ lubricitatem, quæ eius greſſus facilè

*Gen. 49.*

cilè fallit & implicat. Non deeſt ſerpens & *Coluber in via, ceraſtes in ſemita mordens vngulas equi, vt cadat aſcenſor eius retrò.* Non deſunt offendicula in quæ impingat, non ſolùm à carne & dæmone, ſed & à mundo & mundana converſatione. Vbique laquei obumbrati, & foſſæ abſconditæ, vt cadamus. Adverſarius ſemper vigilat & impellit, numquam dormit. Offendicula ab amicis, ab vxore, à filijs, ab extraneis, à nobis ipſis. Ab opibus, à voluptatibus, ab honoribus, à vanitate ſæculi laquei, quos vix advertere eſt etiam oculatiſſimis. Quid ergò aliud dicere poteſt miſer & infirmus homo? quid niſi lucem & opem expetere ne cadat? Quid niſi cum Propheta repetere: *Impulſus, everſus ſum vt caderem, & Dominus ſuſcepit me.*

*Vbique laquei.*

*Pſal. 117.*

Abſit autem vt quispiam de Deo dicere audeat illud quod Eccleſiaſticus, ex ore impiorum prodiens reprobat: *Ille me implanauit,* ſive vt alia Lectio habet; *Ille mihi offendiculum poſuit, & cadere fecit: Ille me in errorem induxit.* Hæc eſt enim atrox blaſphemia. Etenim Dominus ad lapſum non impellit, aut offendiculum ponit, qui potiùs infirmum adhuc ſtantem firmat & præſeruat, aut labantem, ne collidatur, adiuuat, aut lapſum erigit & redintegrat, ita vt omnes hi poſſint dicere: *Impulſus everſus ſum vt caderem, & Dominus ſuſcepit me: Fortitudo & laus mea Dominus, & factus eſt mihi in ſalutem.*

*Eccli. 15.*

*Pſal. 117.*

Quapropter adverte multiplicem inveniri in hominibus caſum. Aliquorum caſus leuis eſt & venialis, quia homo faciliè cadit in veniale peccatum. Ab hoc caſu nec iuſtorum vita & via eſt exempta. Vndè illud, *Septies cadit iuſtus, & reſurgit.* Quod licet de lapſu in calamitates, ex quibus fortior fit iuſtus & humilior reſurgit, nonnulli interpretentur cum S. Auguſtin. Attamen de caſu in venialia peccata plerique intelligunt, & de leui offenſione, à quibus mox reſurgit iuſtus, licet ſepties, id eſt, frequenter cadat, nec propter hoc iuſti nomen amittit, nec iuſtitiam aut gratiam Dei. Sic interpretatur Caſſianus cum ait: *Iuſtos non eſſe immunes à culpa, manifeſtè Scriptura pronunciat, dicens: Septies in die cadit iuſtus, & reſurgit. Quid enim eſt aliud cadere, quàm peccare? Et tamen cùm dicatur ſepties cadere, nihilominus non præiudicat eius iuſtitiæ lapſus fragilitatis humanæ. Multum enim intereſt inter ſancti & peccatoris hominis lapſum. Aliud enim eſt admittere mortale peccatum, & aliud cogitatione præveniri, quæ peccato non careat: vel ignorantiæ, aut oblivionis errore: aut facilitate otioſi ſermonis offendere: aut ad punctum in Fidei theoria aliquid hæſitare: nec ſubtili quadam cenodoxiæ titillatione pulſari: aut neceſſitate naturæ aliquantiſper à ſumma perfectione recedere. Hæc enim ſunt 7. lapſuum genera, in quibus vir ſanctus licet nonnunquam cadat, tamē iuſtus eſſe non deſinit: quæ quamuis leuia videantur ac parua, tamen faciunt eum ſine peccato eſſe non poſſe,* qui legit ſepties *in die* cadit iuſtus, quomodò etiam aliqui antiqui legerunt, inter quos Bernardus ſer. 1. in Mariale.

*Alij leuiter cadūt peccando venialiter.*

*Prov. 24.*

*Auguſt. l. 11. de ciu. cap. 31.*

*Cum Collat. 22. c. 13.*

Cant. item Auctor Catenæ Græcorum & nonnulli manuſcr. codices. Vndè colligere voluerunt aliqui, quòd homo per vnum diem non poſſit ſe à veniali continere, ita vt in ſeptē, id eſt, plura venialia peccata ordinariè labatur. Sed illud, *in die*, non habetur vel in Hebræo, vel apud Septuaginta, vel in vulgata editione Rom. Vndè dolendum eſſe Interpretes cenſent. Putantq; aliqui cum Doctore Dominico à Soto iuſtos qui cautè ſibi advigilant, & puritati conſcientiæ ſtudent per aliquod tempus, etiam per vnum diem, poſſe à veniali abſtinere. Quod contigiſſe Apoſtolis poſt Spiritum S. acceptum credibile eſt, ſicut & S. Ioanni Baptiſtæ, & alijs eximijs puritate & ſpiritu viris totis in Deum intentis, quales fuêre Dominicus Franciſcus, Ignatius, & ſimiles. Dicit enim S. Chryſoſtomus: *Nihil eſt quod propter terrenarum rerum habitaculum ad ſupernarum virtutum perfectionem homines prohibeat pervenire. Eſt quippè poſſibile, vt in terrarum adhuc regione degentes, quaſi iam in cœlis habitent, ita cuncta perficiant. Fiat voluntas tua, ſicut in cœlo & in terra.*

*An iuſtus in dies cadat ſepties?*

*Hom. 20. in Matt.*

Quis ambigit Magdalenam ſepties in die eleuatam, ad Dei laudes cum Angelis celebrandas, non peccaſſe ſepties in die?

Quis credat Sanctum Paulum, cuius converſatio in cœlis erat, & interim cum hominibus Chriſti legatione fungens ambulabat, peccaſſe ſepties in die, vel quidem veniali offenſione?

Cardinalis Vitriaco in vita S. Mariæ Ogniacæ c. 6. ſic de ea ait: *Ab exiguis venialibus adeò ſibi cauebat, vt crebrò ad dies quindecim ne vnam inordinatam cogitationem in ſuo pecto e poſſet reperire.* An igitur credi poteſt eam in die ſepties cecidiſſe?

Quid quod de Abbate Pambo, & quibuſdam Anachoretis, Patrum Hiſtoriæ tradunt, per annos plures ne vnum quidem verbum otioſum dixiſſe? Equidem faciliùs eſt cadere cogitatione, ſed tamen non exiſtimo, quod id factum fuerit ab eis ſepties in die.

Verùm hæc ſpeciali gratiæ adſcribe. Nos autem, qui infirmi ſumus, ſepties in die cadimus, ſed mox ad reſurgendum conniti debemus; & quia nos eſſe de populo cadente agnoſcimus, inclamemus MARIÆ, *Succurre cadenti ſurgere qui curat populo.* Vita enim noſtra, ſi de venialibus peccatis loquamur, nonniſi caſus eſt & reſurrectio; ideoque nobis advigilandum eſt ne cadamus, ſimulque ad reſurgendum continuo egemus auxilio.

Secundò, aliqui cadunt per peccatum mortale, ſed confeſtim reſurgunt, vel ſaltem aliquo poſt tempore. Sic cecidit Petrus timore impulſus: ſed mox reſurrexit, amore eum ſubleuante, & Chriſto reſpiciente. Sic cecidit & Thomas per nubilum infidelitatis ambulans procelloſo tempore: ſed ſtatim etiam reſurrexit, Domino ei manū porrigente. Sic cecidit & Dauid à concupiſcentia in viam lubricam abſtractus & illectus; ſed licet aliquanto tempore in peccati luto hæſerit, mox tamen vbi corripuit eum Nathan Propheta, agnouit lápſum,

*Graviter alij cadūt peccando mortaliter ſed ſtatim reſurgunt.*

& ſtatum ſuum, & ſurgens rigabat lachrymis per ſingulas noctes ſtratum etiam ſuum. Hi ergò o-
*Pſal. 117.*
mnes porueruut dicere: *Impulſus, euerſus ſum vt caderem, & Dominus ſuſcepit me.*

De his etiam intelligit S. Hieronymus illud anteà ex Sapiente allegatum: *Septies cadit iuſtus, & reſurgit.* Sic enim dicit Epiſt. ad Ruſticum. *Si cadit, quomodò iuſtus? Si iuſtus, quomodò cadit? Sed iuſti vocabulum non amittit, qui per pœnitentiam ſemper reſurgit.* Igitur non ſolum de veniali lapſu, ſed etiam de grauiori vult eam ſententiã intelligi S. Hieronymus; vultque ſignificare, quòd ob reſurgendi ſollicitudinem & celeritatem, iuſti nomen non tam perdere, quàm ad tempus obſcurare videatur, quia & mox rurſus per pœnitentiam illud illuſtrare, & priſtino ſplendori reddere cenſetur.

*S. Amb. in apolog. 2. pro Dauide c. 3.*

Conformiter S. Hieronymo loquitur S. Amb. *Si Dauid infirmus, tu fortis? Si Salomon lapſus eſt, tu potes primus eſſe Sanctorum? Ergò ſi errauerunt iuſti, errauerunt tamquam homines, ſed peccatum ſuum tamquam iuſti agnouerunt.*

*l. 5. in 1. Reg. c. 15.*

Audi & in eandem ſententiam S. Gregorium. *De iuſtorum caſu ſcriptum eſt: Septies in die cadit iuſtus, & reſurgit. Iuſtorum certè caſus quodammodò ſtatus eorum eſt: quia aliquando permittuntur cadere, vt ſemper valeant fortiùs ſtare: permittuntur vt in malis corruant, ne ſumma virtutum dona per elationem perdant. Ad tempus relinquuntur, vt in æternum teneantur.* Hæc S. Gregorius. Iuſti ſcilicet ex caſu acriùs reſurgunt, & in ſtatu gratiæ ſe magis obfirmant; ita vt non tam cecidiſſe, quàm ſe inclinaſſe cenſeantur. Quapropter de numero illorum ſunt, pro quibus orat hìc Eccleſia Deum & Deiparam, dum canit: *Succurre cadenti ſurgere qui curat populo.* Cadunt enim venialiter, cadunt & quandoque mortaliter: & quidem ſepties in die cadere poſſunt, hoc eſt, ſæpiùs poſſunt offendere, etiam grauiter in die mortalis huius vitæ; ſed ſemper curant ſurgere, & ideò digni ſunt compaſſione, & diuina ope. De
*Serm. in Cant.*
quorum caſu dixit etiam ſubtiliter S. Bernardus. *Septies cadit iuſtus & ſepties reſurgit, ſi tamen cadat in die, vt ſe cadere videat, & cecidiſſe ſciat, & reſurgere cupiat, vt requirat manum adiuuantis, & dicat: Domine, in voluntate tua præſtitiſti decori meo virtutẽ, auertiſti faciem tuã à me, & factus ſum conturbatus.*

*Michea c. 7.*

Hæc poteſt eſſe horum vox, quæ apud Prophetam exprimitur: *Ne læteris inimica mea ſuper me (Congregatio ſcilicet malignantium) quia cecidi, conſurgã, cùm ſedero in tenebris, Dominus lux mea eſt; iram Domini portabo, donec iudicet cauſam meam, educet me in lucem.* Cadunt ergò hi, ſed ante ſe, ita vt videre poſſint quomodò ceciderint, & clauſos mox oculos aperire ad ſurgendum. Non cadũt re-
*Quid ſit retrorſum cadere?*
trorſum, ſicut Heli è ſella ſua fractis ceruicibus, aut ſicut miniſtri impij in Horto Dominum apprehendere volentes voce Domini proſtrati. Notat .n. S. Gregorius, retrorsũ cadere eſſe impiorum; in faciẽ
*Homil. 9. in Ezechiel.*
cadere electorum. *Quid eſt quòd electi in faciẽ, & reprobi retrorsũ cadunt, niſi quòd omnis qui poſt ſe cadit, procul dubio cadit vbi non videt: qui verò ante ſe ceciderit, ibi cadit vbi videt? Iniqui ergò poſt ſe cadere dicuntur, quia ibi corruunt, vbi quid ſequatur mali videre non poſſunt. Iuſti in faciem cadunt, quia timore compuncti, videntes humiliantur.*

Rurſus de iuſtis ſcriptum eſt: *Iuſtus ſi ceciderit, non collidetur, quia Dominus ſupponit manum ſuam,* id eſt, auxiliũ ſuũ, vt reſurgat per pœnitentiam, ſicq; non confringatur. Sic nimirũ in his ſcripturis ſemper eſt mẽtio de his qui ſurgere curãt, & auxiliũ ac manũ Domini implorãt; ſed quia nõ poſsũt proprijs viribus, in cœlũ vocẽ extollunt, & clamãt: *Infixus ſum in limo profundi, & nõ eſt ſubſtantia, veni in altitudinem maris, & tempeſtas demerſit me, ſed ſpero in Deum meum.* Et iterum: *Ne abſorbeat me profundum neq; vrgeat ſuper me puteus os ſuum.* Clamãt ipſi velut Ionas, inobediẽtię pœnã luens, nec aquis eluẽs: *Pelagus operuit caput meum, abyſſus vallauit me, Abiectus ſum à cõſpectu oculorum tuorum: verumtamẽ rurſus videbo Templum sãctum tuum.*
*Pſ. 36.*
*Pſ. 68.*
*Iona 2.*

*Sunt qui cadunt irreparabili caſu.*

Tertiò dicamus, quod aliqui cadunt irreparabili caſu; quia perſeuerãt obſtinati in peccato, vel ſubitò poſt peccatum abripiuntur à Deo. De tali caſu verũ eſt illud. *Comminuetur ſicut lagena figuli, contereretur contritione prævalida, & non inuenietur de fragmentis eius teſta, in qua portetur igniculus de incendio, aut hauriatur parum aquæ de fouea.* Aliquorum .n. eſt talis caſus & ruina, vt nihil planè in eis remaneat affectus ſpiritualis, quo tanquã fragmento & teſta poſſit igniculus diuini amoris reaccendi & portari, vel aliquid aquę de puteo gratiæ hauriri. Hoc ipsũ iterum eſt quod Sapiẽtis ſententia voluit indicare, dum dixit: *Septies cadit iuſtus, & reſurgit: impij autem in malum corruunt.* Hoc eſt, ſic labuntur, vt ſalutẽ ampliùs nõ recuperẽt, quia vt loquitur S. Auguſt. *Per conſuetudinem peccãdi ipſi ſe ſuiſmet ruinis ſepeliunt. O caſum, & ruinam deplorandam!*
*Iſai 30.*
*Prov. 24.*

*Luca. 10.*

In Evãgelio dicit Dominus: *Videbã Satanã quaſi fulgur de Cœlo cadentem:* quia ſcilicet in veritate nõ ſtetit, ſed in profundũ abyſſi cecidit irrevocabiliter. Vndè & ei exprobratur apud Iſaiã: *Quomodò cecidiſti Lucifer, qui manè oriebaris? Detracta eſt ad inferos ſuperbia mea.* Sic & S. Ioan. in Apocalypſi vidit ſtellã de cœlo cadentẽ in abyſsũ. Similis eſt nõnullorũ caſus, qui cùm anteà vt ſtellæ fulgerẽt ſplẽdore gratię diuinę, illã poſtmodũ contẽnentes, inſtar dęmonũ ſubitò ruunt in perniciem æternã; & in ignẽ tartareũ, de quibus Pſaltes: *Vos autem ſicut homines moriemini, & ſicut Vnus de Principibus cadetis:* hoc eſt, ad inſtar Principũ illorũ Angelicorũ, irreparabiliter ceciderũt, ſic & vobis continget. Intelligite ergò qui obliuiſcimini Deũ, nequando rapiat, & nõ ſit qui eripiat. Intelligite qui perſeueratis in peccato, quia cadere humanũ eſt, ſed diabolicũ perſeuerare. Nõ pro vobis hìc orat Eccleſia, ſed pro populo cadẽte qui curat ſurgere. Pro populo qui ex humili cordis cõtritione, & oris cõfeſſione dicit Domino: *Ecce quaſi folium cecidimus vniuerſi, & iniquitates noſtræ quaſi ventus abſtulerunt nos. Et nunc Domine Pater noſter es tu, nos verò lutum; & fictor*
*Iſai. 14.*
*Pſ. 81.*
*Nemo cadat irreparabiliter.*
*Iſa. 64.*

noſter,

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

*noſter, & opera manuũ tuarũ omnes nos. Ne vltra me mineris iniquitatis noſtræ, ecce reſpice, populus tuus õnes nos. Tu alliſiſti nos in manu iniquitatis noſtræ, quia nõ erat qui invocaret nomẽ tuum; & cõſurgeret & teneret te. Sed nunc ne iraſcaris ſatis.* Hæc eſt vox populi ad Deum revertẽtis apud Iſaiam Prophetam & reſurgentis ac reſpirantis ad gratiam divinam.

*Clamandum ergo ad B. V.*

Clamemus ergo & nos ad Dominũ & Patrem noſtrum, ad Dominam & Matrẽ noſtram, quæ ſuſcipit impulſos & everſos, erigitque eliſos, aut ſupponit manum ſuam, ne cadentes collidantur, cuius manus auxiliaris nobis neceſſaria eſt; vt non collidamur, aut vt colliſi redintegremur, & reſurgamus. Sic redintigravit Mariam Ægyptiacam, Theophilum, & alios innumeros, & ſtare fecit fortiter poſt lapſum. Certè ſæpius caderemus, collideremur, periremus, niſi ipſa benignitate ſua ſuccurreret; & ſupponeret manum ſuam; impedit enim ſua continua poſſeſſione ne abſorbeat nos profundum, & vrgeat claudatq; ſuper nos puteus os ſuum. Dicamus itaque ei & Filio eius, quando peccatis aquis inundãtibus nos involutos cæleſtis gratia reſpicit, & reſurgere facit, illud. *Lapſa eſt in lacum vita mea inundauerunt aquæ ſuper caput meum, & dixit: Perii. Inuocaui tamen nomen tuum de lacu nouiſſimo, vocem meam audiſti, ne avertas aurem tuam à ſingultu meo & clamoribus.* Hæc eſt via animi ſurgere curantis, auxilium invocantis, gratiasque pro auxilio reddentis.

*Thren. 3.*

SECT. IV

## TV QVÆ GENVISTI NATVRA MIRANTE TVVM SANCTVM GENITOREM.

*Incarnatio Dei Miracul. maximũ. Mayron. ſer de Nativitate.*

INcarnatio Filii Dei miraculũ eſt miraculum magis ſtupendũ (inquit Franc. Mayron. inſignis Doctor Theol) *quàm ipſa mundi creatio: quia magis diſtat homo à Deo, quàm homo à nihilo. homo enim eſt finitus, Deus infinitus. In Incarnatione autẽ Deus vnitur homini, in creatione verò homo vnitur nihilo, id eſt corpori creato ex nihilo.* Ideo myſterium illud antea a ſæculis abſconditum in Deo, & ipſis ignotum Angelicis ſpiritibus, cælo & terræ admirabile factum eſt, & ſtupendum. Hinc & Maria Virgo, quia electa eſt vt ad illud cooperaretur, à Sanctis Patribus vocatur *Officina & Abyſſus Miraculorum* quia ex illo ſummo Miraculo infinita miracula alia prodierunt, tanquam ex radice & fundamento, & totum Orbem admiratione & ſtupore affecerunt. De qua re ſic S. Bern. *Generationẽ iſtam quis enarrabit? Angelus annũciat, virtus obumbrat, ſuper venit ſpiritus, Virgo credit, Virgo parturit, Virgo permanet. Quis non miretur? Naſcitur Verbum infans & agnoſcitur lõgitudo breuis, latitudo anguſta, altitudo ſubdita, profunditas plana. Ibi agnoſcitur lux non lucens Verbum infans, aqua ſitiens, panis eſuriẽs.* Quapropter Scriptura dicit, quòd Verbum abbreviatum fecerit Dominus ſuper terrã, quia ſcilicet omnia myſteria antiqua, omnia Orbis prodigia, in hac Incarnatione & Nativitate conſummationem acceperunt & perfectionem. Ibi agnoſcitur Rubus incombuſtus Moyſis, Virga florẽs Aaronis Manna pluens Iſraelitis, Porta fulgens Ezechielis, Sol Ezechiæ retrogrediens. Vnde propter iſtud myſteriorum myſterium dicitur Deo per Sapientem: *Innova ſigna, & immuta mirabilia, vt agnoſcant, quia non eſt Deus, niſi tu, vt enarrent magnalia tua.*

*In Nativ. myſteria omnia antiqua innovata.*

*Eccli. 36.*

Hæc igitur omnia mirata eſt, & continuò miratur natura, & maximè quòd Virgo potuerit ſuum gignere Genitorẽ, & vtero continere immenſum ſuum Creatotem. Hoc eſt enim illud ſecretum & ſacratum Ænigma, quod videtur proponi à Propheta: *Homo & homo natus eſt in ea, & ipſe fundauit eam Altiſſimus.* Quaſi dicat, Homo verè homo, in ea natus eſt, & tamen ipſe eſt qui eam condidit & fundavit. Qui elegit, intelligat; ruminetque, admiretur, obſtupeſcat, quòd ille Homo qui ex Matre natus eſt, Matrem condidit & genuit.

*Hæc natura miratur.*

*Pſal. 86.*

Hoc ipſum eſt, quod ſæpe Eccleſia in ſuis Hymnis & Canticis admiratur, dum ſic canit:

*O glorioſa Domina Excelſa ſuper ſidera:*
*Qui te creauit providè: Lactaſti ſacro vbere,*

Notiſſimus & cantatiſſimus eſt & ille Hymnus, quem ſibi Carnotenſes Virginis priſci Alumni attribuunt:

*Quem terra, pontus, æthera,*
*Colunt, adorant, prædicant,*
*Trinam regentem machinam*
*Clauſtrum Mariæ baiulat.*
*Beata Mater munere,*
*Cuius ſupernus Artifex,*
*Mundum pugillo continens,*
*Ventris ſub arca clauſus eſt:*

Quæ quidẽ omnia nõ aliud dicunt, quam hoc ipſũ hâc Antiphonâ comprehenſũ: *Tu quæ genuiſti naturâ mirãte tuũ ſanctũ Genitorẽ.* Quomodò natura hoc admirata ſit, teſtantur tot prodigia in cœlo & terra, ac in omnibus elementis exorta in Nativitate Domini, ex Virgine ſuũ ſanctũ Genitorem gignente. De quibus paſſim agitur in Nativitate Domini ab interpretibus ſacri Textus Evangelici, vel Concionatoribus, eorumque nonnulla retulimus, cùm de Nativitate Domini egimus in Iubilo Natalitio, vbi omnes creaturas ad laudãdũ Deũ in hac Nativitate excitavimus, vel potius excitatas eſſe, & nos incitare oſtendimus. Etenim in Sole prodigia contigerunt: Aër inſolito lumine fulgidus fuit: Stella inſolita luce magis præluxit: Aqua è rupe Bethleẽ recenter erupit: Terra in Vineis Engaddi florẽ dedit. Et prope fontẽ Elizæi Roſæ natæ, etiãſi ſiccæ poſt reſerventur, adhuc in die Nativitatis refloreſcere perhibentur. Ignis quoque tunc extinxiſſe dicitur vitio Sodomitico involutos. Sic natura nõ ſine cauſa miratur, dũ Creator & Genitor naturæ, ea quæ in natura ſunt, & ſupra naturam innouat, & omnia immutat, vt agnoſcatur in Magnalibus & Mirabilibus ſuis. Sic iterum hic repetendum: *Innova, Domine: ſigna immuta mirabilia.*

*Oſtendit per partium enumerationem.*

Hoc etiam hic addendum eſt, quòd & ipſamet Maria, à Deo electa, myſteriorum horum conſors & conſcia, admirata ſit quæ in ipſamet geſta

*Ipſa Virgo admiratur Nativitatem Domini.*

ſunt, Sic enim & de ipſa canimus: *Venter puellæ baiulat ſecreta quæ non nouerat.* Et Textus Evangelicus nos docet, quòd *Maria conferebat omnia verba hæc in corde ſuo:* ruminans ſcilicet, conferens, admirans, quæ ſentiebat, videbat, & audiebat. Et hoc non ſemel dicitur in Evangelio, quia Virgo erat ſilentij & admirationis, non multi verbi externi, aut locutionis, quamvis ſilentium eius ſublime & profundum, Myſterijs & Sacramentis plenum, in auribus Dei eſſet ſonorum. Dicamus ergo ei: Tu qui genuiſti, te ipſâ mirante, tuum ſanctum Genitorum. Sic enim eam introducit loquentem S. Baſilius Seleucus, Orat. de Incarnatione ad Ieſum recens natum. *Quid adgrediar? Te-ne lacte nutriam, an vero vt Deum colam? Tibi-ne maternum præſtabo obſequium, an ſicut ancilla cultum adorationis impendam? Te ne vt filium amplexu fovebo, an iugiter ſupplex invocabo? Tibi-ne lac porrigam, an thymiama offeram?*

*Luc. 2.*

Sic verò quaſi hærentem & cunctantem, ac in meditatione ſancta admirantem & ruminantem alloquitur S. Auguſt. *Lacta, lacta, ô Virgo Beata. Deum tuũ, Creatorem tuum. Præbe lambenti mamillã, vt pro te percutienti præbeat maxillam, Pane Angelorum refice vbere de cælo pleno Qui ſemen Abrahæ apprehendit, vult per omnia fratribus aſſimilari infaſciari, luctari, portari, in cunis reclinari Nihil ergo hæreas, hæc infima obſequia exhibe circa Deum infantem, noli ex humilitate te indignam cenſere, nec exiſtimes hæc illi indigna eſſe. Qui te elegit Genitricem, elegit gerulam & Nutricem.*

*Maria ipſa lactauit Chriſtum & lapide Ribad. in feſt. Nat. Lap. in ca. 2. Lucæ.*

Ex his elucescit, quòd Maria non ſolum naturâ mirante, ſed & ſeipſâ admirante, ſuum genuit, lactavit, portavit Genitorem. Nec inſipidè aliqui meditantur, quòd vbi Chriſtum vtero ſuo effudit, poſt adorationem internam, tria ei oſcula impertita fuerit cum genuflexione, & profundiſſima reverentia, vnum pedibus quaſi Deo, vnum manibus quaſi Domino, vnum faciei quaſi filio; quòdque mox pectori cum admiratione eum admovens, & vlnis ſtringens, cum jubilo dixerit: *Exoptatus ades Deus meus, Dominus meus, Filius meus.*

*Quid in ea admiretur.*

Sic admirabatur Maria, & adorabat Filium ſuum, in conſortio Angelorum Magnum, in conſortio animalium Parvulum. Admirabatur illum, cuius Magnitudinis non erat finis, & adorabat Parvum in faſcijs & cunis recludendum. Admirabatur & adorabat eum qui tribus digitis appendit molem terræ, qui Matris iam pendebat ab vbere. Adorabat & admirabatur eum qui librat montes & colles in ſtatera & pondere, & nihilominus librandus erat manu & brachijs ab imbelli Virgine. Admirabatur & adorabat replentem infantilibus lachrymis ſinum Matris, qui aquis replet ſinum Maris. Admirabatur & adorabat eum qui terribilis eſt ſuper omnes Deos; & abiectus ac vilis eſt inter hominum filios. Sic naturâ mirante ſuum gignens Genitorem, & quæ ſupra naturam ſunt intelligens, & admirans, tota in ſpiritu erat, & illi ſeadorando conſecrabat, ac in corde ſuo conferebat, & conſervabat omnia hæc cælo & terra totis ſæculis admiranda.

Conveniebat Mariam illud emblematicè dictum conſiderare & admirari:

*Sum quod eram, nec eram quod ſum, nunc dicor*
*vtrumque.*

Hoc dicere poteſt eius Filius, qui natus manet quod erat, id eſt Deus, & fit quod anteà non erat, id eſt, Homo: & nunc dicitur vtrumque, id eſt, Homo & Deus. Id etiam dicere poteſt Maria, quæ eſt quod erat, id eſt, Virgo: & eſt quod non erat, id eſt Mater: & vtrumque eſt, Mater & Virgo.

---

## VIRGO PRIVS AC POSTERIUS.

SECT. V.

HOc inter cætera admirabile fuit & ſtupendum toti Orbi & Naturæ, quòd Virgo generans manſit Virgo, ante partum, in partu, poſt partum. De qua re necdum adhuc intelligebatur illa Prophetia: *Ecce Dominus dabit vobis ſignum, Virgo concipiet, & pariet Filium, & vocabitur nomen eius Emmanuel.* Audite domus Iſrael ſignum vtique admirandum & ſtupendum. Audite omnes gentes toto Orbe diffuſæ. Audite ſapientes & rudes, audite hoc increduli hactenus inauditum; ſed credite omnibus ſæculis propalandum, & certò credendum. Ecce Virgo concipiet & pariet Filium, quaſi Lilium. Lilium erit ante partum, Lilium in partu, Lilium puritate refulgens admirandâ, etiam poſt partum Filium flos cãpi & Lilium convallium eſt: ſic eſt & Mater eius, quæ inviolata & intemerata eum patiens, ſemper Virgo permanebit, puritatis Lilio condecorata & coronata, Audite & admiramini, quia *ſicut ſidus radium, Virgo parit Filium res miranda. Neque ſidus radio, neque Virgo Filio fit corrupta.*

*Deipara ante in & poſt partum Virgo Iſa. 7.*

*Sequ. de Natiuit. Chriſti.*

Tu ergo genuiſti, ô Maria, tuum ſanctum Genitorem. Virgo priùs ac poſteriùs, quia dicebat omnium Conditorem non partu conſueto, ſed mirando, in hunc Orbem venire novâ nativitate. Deum decebat talis nativitas, quâ nonniſi de Virgine naſceretur: congruebat talis & Virgini partus, vt non Pareret niſi Deum, inquit S. Bernardus. *Decebat quoque vt Caput noſtrũ inſigni miraculo de Virg. naſceretur, quo ſignificaret mẽbra ſua de Virg. Eccleſia ſecundùm ſpiritum naſcitura,* inquit S. Auguſtinus. Nec fas erat, vt per illius adventum corrũperetur integritas Matris, qui eã poterat ſervare & ſibi conſecrare: quique venerat noſtrã corruptionẽ ſanare. *Oportuit ergo vt primam Genitricis integritatem naſcens incorruptio cuſtodiret & complacitum ſibi clauſtrum pudoris ſanctitatisque hoſpitiũ divini Spiritus virtus infuſa ſervaret, quæ ſtatuerat deiecta erigere, confracta ſolidare,* ait eloquẽtiſſimus S. Leo. Denique Matrem ſuam voluit eſſe & permanere Virginem, vt virginitatem commendaret,

Poſtquam

Poſtquam enim in corpus hoc veniens, contubernium divinitatis & corporis ſine vlla concretæ confuſionis labe ſociavit, tunc toto Orbe diffuſus corporibus humanis vitæ cæleſtis vſus inolevit, ait S. Amb.

*Devotio B. Margaretæ de Caſtello erga myſterium MARIÆ Virginis. Caleñd Col vener. 13. April.*

Hoc ſæpè myſterium Mariæ ſemper Virginis, eiuſque privilegium recogitabat B. Margareta de Caſtello. Illius contemplationes plurimùm erant circa hæc: *Quomodò Deipara virgineo ſuo vtero Ieſũ contineret: Quomodo ex ea natus eſſet: Quomodo vtriq; ſervierit Ioſeph, maximè in Ægypti itinere* Hæc tria myſteria erant ei pabulum quotidianum : & nocte & die hæc pervolutabat: hæc erant argumẽta ſermonum eius, nec alia de re loquebatur. Hinc à morte ipſius, in corde inventi ſunt tres lapilli pretioſi, tria iſta myſteria exhibentes, In primo ſculpta erat effigies ſpecioſiſſimæ Virginis cinctæ diademate aureo. In ſecundo, effigies pueri recens nati in medio duorum animalium. In tertio, effigies ſenis aureâ chlamide induti, ad cuius pedes in genua ſtrata erat Virgo Ordinis *S.* Dominici. Neque ignorabat ſe tantum theſaurum poſſidere in viſceribus. Vivens enim ſolita erat dicere amicis: *O ſi ſciretis quantus in corde meo lateat theſaurus* Porro lapides illi etiamnum ſervantur in templo Dominicanorum.

*Quomodò recurrendum ad Mariã*

Sed quoniam ſæpius de Virginitate Mariæ diſſeruimus, hic ſuperſedeo, hoc ſolùm addens cum mellifluo Bernardo, non tam hic opus eſſe explicatione & inquiſitione in partus virginei conſideratione, quàm adoratione, & fideli intellectus ſubmiſſione, cum pia admiratione, Currite ergo Matres, currite filiæ, currite omnes quæ poſt Evam, & ex Eva parturimini cum triſtitia, & parturitis: adite, & admiramini Thalamum virginalem, ex quo procedit Chriſtus floridus & fulgidus animarum Sponſus. Veneramini hic coniuges in carne corruptibili carnis integritatem. Miramini etiam vos ſacræ Virgines in Virgine fœcunditatem imitamini omnes homines Dei Matris humilitatem & puritatem. Honorate Angeli veſtri Regis Matrem, qui noſtræ adoratis Virginis prolem: ipſum vtique pariter noſtrum ac veſtrum Regem, noſtri generis Reparationem veſtræ civitatis Reſtauratorem.

*Tract. 3 lect. 14.*

*Nider. Forni. l. 4 Anno 1432. Pomus prope Norimbergiam in Nativit.*

Qui plura deſiderat de Virginitate Deiparæ, videat Hort. Paſt. vbi etiam habes quomodò Beatus Ægidius, Franciſci ſocius, triplex Lilium ſcipione ſuo eduxerit è terra, vt quemdam vacillantem ſuper Virginitate Mariæ confirmaret. Id modò non repetimus Hoc addimus, quod refert Niderus ſuo tempore viſum. [ Prope Nurenbergiam crevit pomus in loco campeſtri, & multis annis in vigore permanſit. Hæc in vere floruit, fronduit, & more aliarum in Autumno fructificavit. Porrò annuatim in aſperrima hyeme ſemper & ſolũ in Chriſti Nativitate, quando Virgo Filium genuit ſine corruptione, pomella virentia produxit. Eſt autẽ Patria illa tunc nivibus profundis tecta, gelu conſtricta, ventis perflata, ideoque ſtupendum tunc ex arbore fructum naſci. Augetur ſtupor, quòd nec ante, nec poſt, ſed nocte tantùm Nativitatis ea pomella germinentur, cùm nec illa arbor in loco communi ſita ab aliquo coleretur, vel fimo, vel ſarculo, vel ſepimento. Vidi, ait ipſe, talia poma præſentari Generali noſtro. In Concilio Cõſtantienſi plures Viri fide digni id prodigium ſunt teſtati. Eadem res me præſente, in Concilio Baſilienſi propoſita fuit multis Theologis, Iuriſperitis, Philoſophis, quorum nemo id naturaliter fieri poſſe aſſevevavit. ]

*Chriſti poma producens.*

*Carnuti in Gallia aſſervatur induſium B. Virg.*

Illud etiam hic non omittendum in teſtimonium Virginitatis Mariæ. Carnuti in Gallia ante Chriſtum extitiſſe ſpeluncam quandam Druydum (qui Sapientes & Religioſi habebantur) in qua tum viſebatur Ara & Imago dicata VIRGINI PARITURÆ. Quam Sanctus Potentianus poſt Chriſtum anno 46. in Eecleſiam erexit, & dedicavit Deiparæ. Eſtque Spelunca illa, inferior pars Eccleſiæ Carnutenſis, clara miraculis, quam qui ingreditur ſancto quodam horrore & devotione corripitur. In eadem Eccleſia Carnutenſi ſervatur pretioſè Induſium Virginis, clarum miraculis. Et etiam ſervatur Aquiſgrani in Metropolitana Eccleſia B. Virgini Mariæ erecta à Carolo Megno Imperatore.

---

SECT. VI.

## SVMENS ILLVD AVE PECCATORUM MISERERE.

*Ave Angelicum ſæpius repetendum*

VElint nolint Hæretici, arguentes ſuperſtitionis Catholicos & pios Virginis cultores, quòd adeò frequenter illi repetant *Ave angelicum* ſive *Ave Maria*: velint, inquam, nolint, repetetur in finem vſque ſæculi. Ab illa Salutatione inchoabunt Verbi divini Præcones, & os ſuum apetient ad peccatorum converſionem, & inſtructionem Fidelium, gratiam Spiritus ſancti per Mariam implorantes. Ab illa inchoabit & finiet Eccleſia Officium ſuum, ſepties in die laudem dicens Deo. Super illa Salutatione Congregationes Religioſæ fundamentum ponent pietatis ſuæ prout ſpecialiter faciunt Virgines dictæ Annunciatæ. Illud Ave Angelicum inſtillabant primis infantium labris Matres piè Illud celebrabit & vſurpabit poſt Angelúm omnis Eccleſia Sanctorum. Illud quinquageſies aut ſexageſies, aut centies, immò ſexcenties & millies repetent animæ devotæ, vt quaſi tot Roſis, aut Lilijs Virgini coronam texant, & ſibi per illam vitæ coronam comparent.

*Et repetitum à multis.*

Sic S. Margareta Hungarica millies in die præſentabat Mariæ illud Ave Angelicum in octava præcedente Feſta Virginis primaria. Beatus Romæus idipſum practicabat ſingulis anni diebus, Alumnus Ordinis S. Dominici, qui Deiparæ fuit devotiſſimus: quem & alij nonnulli leguntur imitati in illo Ordine inter quos recenſetur quidam Renaldus Laicus, & B. Bonaventura Monialis quæ iam ſeptennis huic ſe aſſuefecerat pro exercitio, in die autem Sabbati numerum duplicabat, in die

Annunciationis triplicabat, hoc eſt, ter mille Salutationes Angelicas præſentabat, ob devotionem ſingularem erga hoc ineffabile myſterium. Sic & Beata Maria Ogniaca mille & centum quibuſdam in Quadrageſimæ diebus offerebat, ad ſingulas genua flectens, mirâ pietate & ſuavitate: Sic non mirum quòd Sancta Mechtildis viderit quondam illud Ave Angelicum pectori Mariæ litteris aureis inſcriptum, & ex ore eius intellexerit nihil ei gratius offerri poſſe, quandoquidem ei olim tranſmiſſum fuerit à Sanctiſſima Trinitate, & proceſſerit à potentia Patris eam ab omni peccato & maledictione protegente, à Sapientia Filij eam ſibi in ſedem & domicilium eligente, à bonitate Spiritus ſancti mira In ipſa ex tunc operante. Hinc fit, quòd omnes aliæ Antiphonæ, ſive Cantica, quibus Virginls Deiparæ laudes decantantur, & ipſa pietate læta & humili ſalutatur, illud Ave ei ſoleat repetere, & rememorare; immò nonniſi elucidatio ſunt & amplificatio quædam illius Salutationis Angelicæ, quam primitùs è cælo accepit cum lætitia & exultatione.

*Ave multa ſignificat.*

Itaque hic meritò canimus: *Sumens illud Ave Gabrielis ab ore, peccatorũ miſerere.* Illud enim Ave fuit initium ſalutis miſerorum, initium reconciliationis peccatorum, initium redemptionis captivorum. Illud Ave rememorat horam, qua Chriſtus Corpus ſumpſit & Sanguinem ex Maria, quæ in pretium offerre pro redimendis peccatoribus. Rememorat horam, qua ſumpſit Vellus Agninũ, quo ſe contegeret, in quo immolaretur & fieret Victima & hoſtia pro peccato. Hæc omnia probè novit MARIA, & ideò dicimus ei: *Sumens illud AVE peccatorum miſerere.* Ita, ô Mater pijſſima, memor eſto horum omniũ. Memor eſto horæ, in qua ſpiritu compaſſionis ſpecialiter repleta fuiſti erga peccatores, Spiritu ſancto obumbrante & operante. Memor eſto horæ, qua ab Angelo ſalutata, & Dei Mater electa es, & effecta, vt peccatorum miſereſcens, pro eis jugiter intervenires. Sic vult Pater, ſic deſtinavit Filius. ad hoc elegit te Spiritus ſanctus, ſic Sanctiſſima Trinitas vnus Deus ordinavit. Idipſum à te poſtulant Parentes tui Adam & Eva pro filijs ſuis, fratribus tuis. Sic & nos filij Adæ & Evæ poſtulamus, & totus mundus tuis genibus provolutus, *Peccatorum miſerere.* Ex ore tuo pẽdet ſolamen miſerorum, ſalus peccatorum: à te expectant verbum miſerationis, quos ſæva aliàs premeret ſententia damnationis. Iterum igitur repeto: O Mediatrix noſtra, peccatorum miſerere, Filio tuo eos commenda, Filio tuo eos reconcilia, Filio tuo eos repræſenta, vt Te & Filium tuum videant in ſæculorum ſæcula.

*B.V. grata recitãtibus ſalutationẽ Angelicã Exempl.*

Recens hic exemplum memoratu dignum eſt, quod demonſtrat quomodò Maria propter Ave Angelicũ ſibi præſentatum, fuerit memor peccatoris ad ei miſerendum, etiam hæreſi infecto.

Hiſtoria ſic enarratur ex litteris Fred. Fornerij; Famulabatur Nobili Catholico Martinus Crutie Comburgenſis hæreticus, ei amanuenſis. Febris eum invaſit cum vitæ periculo. Solantur ſocij ægrum, vult interim ipſe vocari ad ſe D. Fornerium Concionatorem Bambergenſem, vt fiat Catholicus. Obſtant illi & aiunt ſe vocaturos Miniſtrum. Ille ſe Sacerdotem Catholicum optare reſpondet. Itaque à Catholicis domeſticis advocatur. Accedit Fornerius, ac apud eum offendit amicos miſſos, exhæredationis eum minitantes, ſi Papiſta fiat. Conſtanter reſpondet ſe nihil ducere hæreditatem terrenam, vt fruatur æterna. Interrogatus à Fornerio, cur tanto deſiderio Fidei Catholicæ arderet, reſpondet, nocte præterita Conceptioni Deiparæ ſacra, eam ſibi adſtitiſſe rapiantem, ac dicentẽ. *Quia ſæpè me ſalutaſti devotè, venio ad te & moneo, vt quia inſtat obitus tuus, in gremium S. Eccleſiæ te recipias, confitearis, & communices Nocte enim Natiuitatis Filii mei, illa hora qua exiit è viſceribus meis, veniam ad te, vt ad gaudia cæleſtia te adducam.* Cui Fornerius: *Cùm ex hæreticorum ſis numero, qui Deiparã non honorant, quo obſequio tã tam ab ea gratiam promereri potuiſſes?* Reſpondet: Ego à te edoctus in Concione, quam cum Domino meo Catholico frequentabam, audivi quomodò Mater Dei ſit honoranda, & quomodo ei grata foret Salutatio Angelica. Ex eo tempore ſepties manè, & totidem veſperi flexis genibus eam recitavi. Non aliud obſequium me præſtitiſſe recordor. His igitur auditis, Sacramentis Eccleſiæ omnibus, poſt inſtructionem & profeſſionem Catholicam, munitus, ipſa Nativitatis nocte, vt prædixerat Deipara, migravit feliciter ex hac vita. Et ab eius morte, talis in vultu, quæ priùs in corde fuerat, manſit hilaritas & formoſitas, vt vividior & formoſior apparret, quàm dum viveret. An non ergo potuit hic meritò dicere: *Sumens illud Ave, peccatorum miſerere* ô Maria! Nemo ergo animum deſpondeat, & deſperet, addictus obſequio Virginis ex cordis & animi ſinceritate.

*Virg. Cal. lend. 8. Decemb.*

*Singula verba Salutationis Angelicæ*

Illud etiam nonnulli notant, quòd Salutatio Angelica (quam toties repetimus tamquam Deiparæ gratiſſimam) rememoret ſingula eius Feſta primaria ſi expendatur in ſingulis verbis, prout eam recitat Eccleſia, tamquam penſum & obſequium ſervitutis filialis erga talem Matrem. Singula enim verba accipi poſſunt, tamquam alicui eius Feſto correſpondentia. Explico paucis,

*Correſpondent ſingulis feſtis B.V.*

1. AVE, correſpondet Conceptioni, quia ſine Væ concepta fuit, ſine peccato originali, aut vlla maledictione:

*Fælix Mater Ave, qua Mundus ſoluitur à Væ,*
*Quæ genitricis Evæ Væ facit eſſe breve.*

2. MARIA, correſpondet Nativitati, quia tunc Nomen illud accepit, & quidem, abſque dubio, cæleſti ordinatione. Nominis quoque tunc efficacem gnificationem accepit, ſi apparens vt Stella Maris Mundo tenebroſo & turbido.

3. GRATIA PLENA, correſpondet Præſentationi, in qua valde gratioſa apparuit, ſcandens gradus

Cant. 7. gradus in Templo trimula, cœleſti auxilio adjuta, ita vt tunc ei potuerit illud dici: *Quàm pulchri ſunt greſſus tui in calceamentis, ô Filia Principis.*

4. DOMINVS TECVM, correſpondet Annunciationi, quia Dominus tunc cum ea fuit ſpeciali modo, mox ab eius humili reſponſo, per perſonalem vnionem ad carnem ex ea aſſumptam: Dominus tecum, ô Maria, tecum in mente, tecum in ventre, & vtero myſterijs fœcundiſſimo.

5. BENEDICTA TV IN MVLIERIBVS, correſpondet Viſitationi: ſic enim à S. Elizabetha ſalutata fuit, & à S. Ioanne in vtero per os Matris loquente, quomodò & eam paulò anteà Angelus ſalutârat eiſdem verbis. Hinc & Feſtum illud quibuſdam in locis intitulatur *Feſtum S. Mariæ de Gratia*, quia per illam gratia repletus eſt Ioannes & Elizabetha

6. BENEDICTVS FRVCTVS VENTRIS TVI, correſpondet Feſto partus eius, quando ſcilicet in medio Angelorum, cœlo & cœlitibus eam benedicentibus, Ieſum peperit ſine Virginitatis detrimento: quia ſicut ſine læſione & corruptione fructus ex arbore exoritur, ita Chriſtus ex Virgine: & ſicut decor eſt arboris fructus eius, ita & Marię decor eſt eius Filius.

7. SANCTA MARIA MATER DEI, correſpondet Purificationi, in qua publicè apparuit Maria tamquam Mater Dei, quando diuinum ſuum Infantem præſentauit cum gaudio & iubilo in Templo his qui expectabant redemptionem Iſrael: *Ecce veniet ad Templum ſuum Dominator Dominus.*

8 ORA PRO NOBIS PECCATORIBVS, correſpondet eius in Cœlum Aſſumptioni: ideò enim aſſumpta eſt, vt perpetuò interveniat & oret pro nobis miſeris peccatoribus tamquam Mater, Mediatrix, & Advocata noſtra: ideò aſſumpta, vt noſtræ ſalutis fideliter & amanter tractet negotia.

9. Illud, NVNC ET IN HORA MORTIS NOSTRÆ, rememorare poteſt Feſtum Compaſſionis eius, & conſtantiam quam habuit iuxta Crucem in morte Filij. Per quam meruit aſſiſtere omnibus filijs Dei benedictis in hora mortis, eoſque ab inſidijs dæmonis protegere, ac à mortis æternæ periculo liberare.

Propter hæc igitur omnia meritò Aue Anegelicum, cuius Gabriel Archangelus primam partem cœleſti mandato pronuntiauit, & auribus MARIÆ, otique eius, velut cœleſte melos, melque ſuaue infudit, crebrò ei repetimus cum devotione, tamquam gratis auribus excipiendum, ſi à mellitis noſtris labijs prodierit. Coniungendum ergò eſt os noſtrum cum Gabrielis ore, mens cum mente, reverentia noſtra humilis cum eius reverenti humilitate, quando pronunciamus illud Aue. Sic enim non poterit repulſam pati, nec ingratum eſſe. Sic cum fiducia dicere illi poterimus: *Sumens illud Aue, peccatorum miſerere.*

# QVADRIGA MARIÆ AVGVSTÆ.

## *TRACTATVS III.*

## PIE ELVCIDANS ANTIPHONAM MARIANÆ LAVDIS,

### Quæ canitur à Feſto Purificationis vſque ad Paſcha.

In gratiam Paſtorum, & Concionatorum, ac Deiparæ Virgini piorum omnium, quibus dictum eſt:

*Qui elucidant me, vitam æternam habebunt.* Eccli. 24.

## INTRODVCTIO.

ECcleſia congaudens, & congratulans Virgini Deiparæ, ante Thorum eius frequentat dulcia Cantica dramatis, vt in cordibus filiorum ſuorum foueat & accendat amorem erga eam, & venerationem candidæ pietatis. Illa autem Cantica, ſive Antiphonas ſuaue-ſonantes, immutat verbis & modulis pro varietate temporum, & myſteriorum annua revelatione recurrentium. Interim ad eundem ſcopum tendunt, & in re ac ſignificatione primaria conformitatem habent. A Pentecoſte vſque ad Adventum Domini canit, *Salue Regina, Mater miſericordiæ.* Ab Adventu vſque ad Purificationem, *Alma Redemptoris Mater.* A Purificatione vſque ad Paſcha, *Aue Regina Cœlorum.* A Paſchate vſque ad Pentecoſten, *Regina Cœli lætare.* Sic in his Antiphonis ferè reperitur hæc vox, *Salue lætare, Aue*, quæ idem ſignificat, & renouat illud Aue Angelicum, quod olim Gabrielis ore fuit depromptum, ad excitandum gaudium indicibile cordi Mariæ, ob redemptionem generis humani, cui debebat ipſa cooperari electa ad hoc Mater Filij Dei. Iſtud nempè Angelicum Aue initium fuit gaudij ineffabilis, initium noſtræ ſalutis, initium conſolationis filiorum Adæ: ideò tam frequenter repetitur, tamquam mel in ore, melos in aure.

Proptereà etiam, in hac noſtra Antiphona bis repetitur AVE, bis SALVE; & rurſus GAVDE ET VALE: quæ omnia voce diuerſa, re ſunt eadem, & nihil aliud ſignificant, quàm ſi diceremus: Tibi ô MARIA! ſit gaudium, & ſalus, id eſt, felicitas, victoria, honor, virtus, gloria. Tibi congratulamur, & congaudemus, ac obſequium humilis ſeruitutis, & venerationis offerimus.

## AVE REGINA CÆLORVM, AVE DOMINA ANGELORVM. SECT. I.

ITaque quando dicimus, *Aue Regina Cœlorum*, idem eſt, ac ſi dicamus: Agnoſcimus te, ô Virgo, tamquam Reginam potentem, non ſolum in *B. V. Regina Cœlorum.*

ſalo

ſalo & ſolo noſtro, ſed & in Cœlo; nec ſolùm in ſolo & Cœlo, ſed & in Cœlis Cœlorum; nec ſolùm in Cœlis materialibus, ſed etiam in ſpiritualibus, de quibus ſcriptum eſt: *Cœli enarrant gloriam Dei, & in omnem terram exiuit ſonus eorum.* *Pſal. 18.* Etenim MARIA Regina eſt dominans ſuper aërem, & aëreas Poteſtates, Regina eſt excelſa & dominans ſuper ſidera. Regina eſt Sole amicta, Stellis coronata, ſub pedibus Lunam habens. Ipſa eſt Signum illud magnum, ſive magnum Miraculum, quod apparuit in Cœlo, quodq; non ſolùm S Ioannes, ſed & omnes in terra homines ſuſpicere debent, admirari, venerari, vſque in ſæculum ſæculi. Regina eſt, in Cœlo Empireo aſſiſtens à dextris Regis omni decore gloriæ circumdata. Regina eſt, regens & moderans Cœlos animatos & ſpirituales, Apoſtolos, Martyres, Confeſſores. Hi nempè ſunt Cœli, qui potiſſimùm annunciant gloriam Dei, in quibus Deus habitat & obambulat, quorumque fulget meritis, coruſcat miraculis, fulgurat verbis, exaltatur encomijs. Sic & Regina hos moderans, per eos mira operatur, mirè magnificatur in his inferioribus, Rege ſic diſponente, ſic volente, vt annuncient gloriam non ſolùm Regis, ſed & Reginæ.

## AVE DOMINA ANGELORVM.

*Domina Angelorũ & quare.*

MEritò Maria *Angelorum Domina* vocitatur, quia Angelica natura eſt velut Ancilla illa, cui (inſtar Reginæ Eſther) Maria innititur præ delicijs; ſicut humana natura eſt altera Ancilla, quæ eius colligit veſtimenta, interprete S. Bonaventura, hoc eſt, eius virtutes & exempla. Sicut ergò nos eam NOSTRAM DOMINAM per excellentiam nominamus, in omni ferè gente & omni idiomate; ita & Angeli eadem nomenclatura eam poſſunt honorare. Hoc tamen ſupra homines habent, quod ipſi ſint primarij Aulici huius Reginæ & Dominæ eam honoris gratiam ſemper circumſtantes, & eius iuſſa exequentes. Hi ſunt filij Dei primogeniti, iubilantes coram Deo & Matre eius. Hi ſunt Aſtra matutina, Chriſtum & Deiparam velut Solem & Lunam ſtipantia. Hi ſunt Flores & Lilia Sponſam & Reginam circumdantia & coronantia.

Hanc vt Angelorum Reginam agnouit S. Gabriel Archangelus annuncians ei dignitatem Matris Dei, quam conſequebatur hæc dignitas Reginæ Angelorum & hominum. Quapropter nonnulli cenſent eam flexis genibus ab ipſo ſalutatam, quam formam piæ quædam animæ imitatæ leguntur, quæ quoties inchoabant Salutationem Angelicam, ſive Roſarium recitando, ſive officium aliud piæ ſeruitutis Mariæ Deiparæ offerendo per frequentem repetitionem Salutationis Angelicæ, ante Deiparæ imaginem genua flectere ſolebant. Ita traditur de S. Margareta Hungarica, & de S. Maria Ogniaca, quæ per plures horas ſolita fuit offerre Virgini Salutationes Angelicas maximo numero, ſemper tamen inchoans flectebat genua honoris ſcilicet & devotionis gratia. Tradunt quoque Monumenta Congregationis S. Georgij in Alga in Hiſpania, illos qui eius auctores fuêre à Beata Virgine Maria accepiſſe, Gabrielem Archangelum integras nouem horas in hac legatione apud Virginem perſtitiſſe, ac ſi ob incredibilem Virginis modeſtiam, & maieſtatem pluſquam humanam & ob diuini Verbi carne induti præſentiam, in admirationem raptus diſcedere nequiret. *Kalend. B Virg. 15. Maij.* Quod fortè indicat Evangeliſta his verbis: *Et diſceſſit Angelus ab ea.* Videtur indicare eum rerum nouitate & magnitudine obſtupefactum ſic hæſiſſe in conſpectu Reginæ Angelorum, vt avelli nequiret, donec tandem re exigente, quodammodò tamen invitus à loco diſceſſit.

*Agnoſcitur vt Domina ab Angelis.*

Hanc quoque Reginam & Dominam ſuam agnouerunt Angeli, in Natiuitate Filij eius concinentes, *Gloria in excelſis Deo*: agnouerunt enim eius Filij foret Mater, Regis Regum, Regis cœlorum & Angelorum. An non tunc meritò potuerunt ei occinere iſtud, *Aue Regina Cœlorum, Aue Domina Angelorum, Salue radix, ſalue Porta, ex qua mundo lux eſt orta?* Nempè claritate ab ipſa prodeunte circumfuſi tunc canunt Angeli. Tunc quoque tamquam Radix ſancta, & tamquam Lilium florẽ ſuum germinans germinabat inter Lilia cœleſtia, laudans & lætabunda, prout deſcripſerat olim Propheta Iſaias, c. 35.

Illi etiam Angeli Dominam ſuam agnouerunt, qui eam cum puero IESV direxerunt & duxerunt in Ægyptum, cernentibus ſimulacris tenebroſis, illuc primitias lucis illaturam. Illic enim comites habuiſſe Angelos, tamquam pediſſequos honorarios, vel viæ duces, haud dubium eſt, cum & Angelus Ioſephum monuerit de hoc arripiendo itinere, & illic commorando: *Vſquequò dicam tibi,* inquit Angelus. Ergò & in hac profectione dicere ei poſſumus: *Aue Regina Cœlorum, Aue Domina Angelorum, Salue Porta, ex qua mundo lux eſt orta.* Licet enim peregrina videatur, & in ſolum alienum tranſmigrare coacta: attamen illuc Solem & lucem invehit cœleſtem, Ægypti tenebras fugaturam: cœlumque obambulat mentis ianthino calceo, ab Angelis aſſeclis honorata etiam in Ægypto.

Angeli quoque iſti, qui Filio agenti in hac vita mortali continuò aſtiterunt, ad audiendam vocem ſermonum eius, & ad faciendam voluntatem eius, non ignorarunt hanc ſuam ſublimem Dominam & Reginam, eiusque etiam fuêre negotio addictiſſimi & promptiſſimi. *Amen, amen dico vobis, videbitis cœlos apertos, & Angelos Dei aſcendentes & deſcendentes ſuper Filium hominis.* *Ioan. 1.* Et quis eos vidit priùs aut potius quam Maria Angelorum Domina, quæ & ipſa myſtica erat Scala, per quam Angeli aſcendebant & deſcendebant? Et iterum: *Acceſſerunt Angeli, & miniſtrabant ei.* *Matth. 4.* In deſerto panem miniſtrabant ei poſt ieiunium quadragenarium. Et vndè ille panis aut cibus depromptus? Ex Mariæ ſcilicet Matris ſuæ cella. Hæc ergò Filio ſuo per Angelos quodammodò miniſtrabat, quam & illi

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

illi maximè venerabantur tamquam Dominam ſuam, & Matrem Domini ſui. Sic etiam Angeli apparuerunt ei in reſurrectione & aſcenſione Filij ſui, & eam honorarunt vt electam Dei Matrem, & cælorum Reginam. Vbique ergo in Filij & Matris myſterijs decantari potuit illud: *Ave Regina cælorum, Ave Domina Angelorum.*

Sed & ſpecialiter illud decantârunt Angeli occurrentes in Aſſumptione ſua ad Thronum Filij, & in coronatione cæleſti, quando à Patre in cælis publicitus honore ineffabili declarata fuit cælorum Regina, & Angelorum Domina; ita vt tunc cenſeatur & illud perfectè adimpletum, ſicut & prius in eius Filio: *Adorent eum omnes Angeli eius* Quapropter & ipſi eam agnoſcentes & honorantes, triduò tumultum eius circumdederunt cum harmonia cæleſti, donec corpus animæ reuniretur & aſſumeretur in gloria.

*Heb. 1.*

*Feſtivitates B. V. ab Angelis promulgata.*

Nec hic ſilentio involvendi illi Angeli, qui eius Feſtivitates populis fidelibus promulgarunt, vt ſecum Reginam & Dominam ſuam celebrarent & exaltarent. Sic Feſtum Nativitatis Virginis antea in Eccleſia ignotum Angeli promulgarunt, & celebrandum indicarunt, dum quotannis cæleſtem melodiam intonant octava die Septembris, & in aures Sancti cuiuſdam Anachoretæ illam refundunt, vt ipſe Interpres & Præco fieret cæleſtis huius gaudij, & divinæ voluntatis, quæ ſimile Feſtum in terris decernendum ordinabat in honorem ſuæ Matris.

Sic & propè Vrbem Suiſſionis in Gallia, auditi ſunt Angeli in die feſtivo Aſſumptionis Mariæ ſolemni muſica decantare: *Felix namque es Sacra Virgo Maria, & omni laude digniſſima, &c* Quo quidē cælico cantu docebant, quali gaudio aſſumptæ Virg laudes forent celebrandæ in terris, quas ſic Angelici ſpiritus decantant in cælis, vt alibi fuſius ex Thoma Cantiprato retulimus.

Quòd ſi Hiſtorias Eccleſiaſticas percurrere velimus, invenimus frequenter gloriam Mariæ, & eius laudes à cæleſtium ſpirituum Choris promotas fuiſſe apud homines; vt obſequium piæ ſervitutis Reginæ ſuæ tam Angeli, quam mortales ſedulò deferrent, quaſi illud crebrò conſonantes in eodem Choro cum cordis iubilo, *Ave Regina Cælorum, Ave Domina Angelorum.*

Sic ab Angelis illud Canticum didicere homines: *Regina Cæli lætare, Alleluia.* Quod ipſi concinuerunt, dum graſſante luce peſtifera, Imago Deiparæ Romæ deferretur in ſupplicatione tempore S. Gregorij. Quibus ipſe cum Choro ſuo accinuit, & addidit, *Ora pro nobis Deum, Alleluia.*

Sic S. Franciſcus plurimum diligebat Eccleſiam dictam Sanctæ Mariæ Angelorum. In illa nimirum ſæpè audiverat Angelos ante Thronum Virg frequentantes dulcia Cantica dramatis. Ibi etiam ſpiritum hauſerat perfectionis, apparente ſibi Maria in medio Angelorum. Frequentans ergo & ipſe hanc Eccleſiam titulo Sanctæ Mariæ Angelorum decoratam, meritò illud poterat oris & cordis labijs beneſonantibus repetere: *Aue Regina Cœlorum, Aue Domina Angelorum,* tum ob pietatem erga Deiparam, tum ob devotionem erga Angelos ſanctos. Ibi à Regina cœlorum è cœlis accepit mediantibus Angelis duodecim in hyeme Roſas rubicundas, & duodecim candidas, quas Pontifici ſummo præſentaret: quibus duodecim ſociorum eius Charitas & Puritas deſignabatur, in quos Spiritus primitias deriuaturus erat, & toto Orbe ſuaueolentem ſparſurus odorem. In illa quoque Eccleſia conveniebat eum pronunciare illud: *Salue Radix, ſalue Porta ex qua mundo lux eſt orta* Ibi enim lucem mutuauit per Virginem, tamquam Portam, toti Ordini ſuo, immò toti Orbi tenebricoſo communicandam. Hinc & duplex aliud nomen huic Eccleſiæ attributum ab eo eſt, vt non ſolum vocaretur Eccleſia Sanctæ Mariæ Angelorum, ſed etiam *Sanctæ Mariæ de Portiuncula,* item, *Sanctæ Mariæ de Portiſcula, & Porticella,* id eſt, de Portu & Porta parua. Quod quidem diminutiuè ſic ex humilitate dictum eſt; nam ibi mox patuit Portus maximus, Porta maxima. Ibi lapillus creuit in montem, & Fons paruulus in immenſum fluuium redundauit, immò in Solem & Cœlum converſus eſt. Ibi Portiuncula terræ creuit in immenſam hæreditatem, & Radix minima extendit palmites ſuos vſque ad terminos Orbis terrarum. Et hæc quidem omnia facta ſunt cooperāte Regina cœlorum, Domina Angelorum.

Quid plura? Reginam hanc ſuam agnouerunt illi Angeli, qui creduntur eius domunculam (in qua fuit nata & à Sancta Anna enutrita, in qua & ab Angelo ſalutata, & à Spiritu ſancto obumbrata Filium Dei concepit) tranſtuliſſe à Nazareth ad Dalmatiam & Illiricos: deindè illinc abreptam vlteriùs in agrum Picenum tranſvexiſſe, in ſyluam cuiuſdam nobiliſſimæ fæminæ, cui nomen Laureta, vndè & Domus Lauretana dicta. Hæc enim miniſterio Angelico peracta ſunt, imperio tamen diuino, vt Cœlorum Reginæ domicilium per cœlos aereos ſuper æquora veheretur, & loco deſtinato collocaretur, ſicque & Regina Cœlorum, & Domina Angelorum agnoſceretur. Nam & talem agnouerunt arbores loco proximæ ſeſe inclinantes, & quaſi reuerentiam exhibentes domui huius Reginæ, in qua Rex Angelorum & hominum, Rex cœli & terræ, conceptus fuerat. Poterant itaque quicumque hęc viderunt, aut huius rei conſcij fuerunt, inclamare, *Aue Regina Cœlorum, Aue Domina Angelorum.*

*Turſell. l. 1. hiſt. Lauretana.*

Sic etiam (vt de vicinia noſtra aliquid eloquamur) agnouerunt Reginam cœlorum, & Dominam Angelorum, Angeli illi qui Imaginem Virginis à S. Materno S. Petri diſcipulo proprijs manibus delineatam, & in Templo à ſe extructo, & Virgini Deiparæ dicato Walcuriæ (Oppidum eſt Namurcenſe) collocatam, miraculiſque celeberrimam dum ignis Templum abſumeret, in ſublime tranſtule-

ſtulerunt, cunctis videntibus: Columba quoque candida dictam Imaginem præeunte, donec in ſub-

*Le Monaſtere du Iardinet, lez VValcour.*

urbano quodam horto ab ijſdem poſita eſt. Cùm verò nulla arte transferri poſſet, Theodoricus loci Regulus votum fecit ſe Monaſterium in loco Hortuli extructurum, quod hodieque extat, & ſic Deo permittente Imaginem Walcuriam retulit. Ad eius autem adventum tanta confluxit frequentia, vt liberalitate peregrinorum magnificum ſit extructum Templum, Collegio Canonicorum & Sacellanorum adductum. Ibi ergò iterum & iterum inclamatum eſt, *Aue Regina Cœlorum, Aue Domina Angelorum.*

Poſtremò hîc rememoremus Eccleſiam Romæ ædificatam diuina revelatione in honorem B. Mariæ, & ſeptem Angelorum primariorum, qui ei aſſiſtunt ſicut & Filio, de quibus Franciſcus Mayronis Doctor Illuminatus ſer. de creat. animæ B. V. ait: *Mater Domini dicitur habere ſeptem notabiles Angelos, qui aſſiſtunt eius Throno.* Eccleſia ergò illa dicitur B. Mariæ Angelorum, hoc eſt, B. Mariæ ſtipatæ ſeptem Angelis Quam Pius IV. ob revelationes cuidam pio Sacerdoti factas, cum cœtu Cardinalium Pontificalibus indutus conſecrauit ſolemniter in honorem Sanctæ Mariæ Angelorum, & Titulo Cardinalitio ornauit, anno 1561. & illuc ex Eccleſia S. Crucis in Ieruſalem tranſtulit Monaſterium Patrum Carthuſianorum. Vide Cornelium à Lapide in Apoc. c. 1.

---

*Sect. II. B. V. radix Sanctitatis.*

## SALVE RADIX SANCTA.

OLim legebatur & cantabatur, *Salue Radix ſancta*, pro eo quod nunc habemus, *Salue Radix, ſalue Porta.* Vtique Deipara Maria Radix eſt omnis ſanctitatis, ex qua non ſolùm Fructus ille oritur, de quo Angelus: *Quod ex te naſcetur, ſanctum vocabitur*; ſed etiam omnis ſanctitas & pietas, quæ in terris reperitur, ab illa & per illam procedit, ac in illa radicatur. Atque hic verum eſt illud Apo-

*Rom. 13.*

ſtoli: *Si Radix ſancta, & Rami*, quia humor radicalis & viuificus ſanctitatis à Ieſu & Maria procedit, tamquam à Radice in cæteros electos quaſi Ramos; & supernè aſcendens eos viuificat & ſanctificat, floridoſque & fructificantes efficit. Propterea etiam dicit ſibi dictum cœlitùs ab eo qui habitauit

*Eccli. 24.*

in Tabernaculo ſuo: *In Iacob inhabita, & in Iſraël hæreditare, & in electis mitte radices.* Quaſi dicatur ei: Iſraël ſit poſſeſſio tua, ô Maria, ſit tua hæreditas & portio dilecta, illi ſcilicet veri Iſraelitæ, quos tibi & mihi in populum dilectum elegi. In illis electis radicare, & immitte radices fidei, radices humilitatis, & veræ pietatis, radices puritatis, devotionis, amoris, ſanctitatis, vt fructum ferant copioſum, & plenum. Sicque *in plenitudine Sanctorum ſit detentio tua*; in pleno ſcilicet cœtu Sanctorum ſit radicatio & habitatio tua, vt ibi honorificeris à populo, quem Deus honorificauit, & in hæreditatem charam ſibi elegit.

Itaque in illis inhabitat Maria, & Mariæ devotio qui ſunt de Iacob, & de Iſrael, non in his qui ſunt de Eſau, id eſt, reprobis. Illos amat, & viciſſim illi ipſam amant, qui inſtar Iacob omni ſtudio in hoc ſtadio luctantur contra vitia, contra mundum, carnem, dæmonem; immò pro Deo contra Deum, ad extorquendam cum lachrymis benedictionem. In illis habitat & mittit radices, qui ſunt de Iſrael, ſiue de generatione quærentium faciem Dei Iacob. Hi ſunt electi, de quibus ei dictum eſt: *Et in electis meis mitte radices*, de quibus & ipſa dicit: *In Sion firmata ſum, & radicaui in populo honorificato.* *Eccli. 24.* Quapropter & ipſi ei ex imo cordis affectu occinunt: SALVE RADIX SANCTA. Et cum Iob ſibi congratulantur: *Radix mea aperta eſt iuxta aquas.* *Iob. 29.* Nempè hæc radix non eſt operta, ſed aperta, nec fixa in arido ſolo, ſed in cœlo, nec infœcunda eſt & ſterilis, ſed ſugit in copia aquas diuini favoris de Paradiſo, quas ramis communicet, vt frondes, flores, fructuſque proferant cum odore & iucunditate

Certè Maria vbi pietatis dignatur iacere radices, mox ibi rami fœcundi exurgunt, & ibi videre eſt omnis generis proceras, ſpecioſas, frugiferas arbores, in cœlum vſque caput tollentes; & ſimul medicas odorem quaquaverſum ſpargentes humiles arbuſculas cum aromatibus Propterea dicit de ſe, *Quaſi Cedrus exaltata ſum in Libano, & quaſi Cypreſſus in monte Sion: quaſi Palma exaltata ſum in Cades, & quaſi plantatio Roſæ in Iericho: quaſi Oliua ſpecioſa in campis, & quaſi Platanus exaltata ſum iuxta aquas in plateis.* *Eccli. 24.* En arbores celſæ, pulchræ, præſtantes, pretioſæ, & ſacræ. *3. Reg. 5.* Nam ex cedro, cypreſſo, palma, olea, fabricatum eſt Templum, eiuſq; vaſa; immò vt volunt aliqui etiã Crux Chriſti ex illis fuit compacta. Hiſce arboribus præſtantibus & ſacris comparatur Maria, & S. Mariæ devoti ſunt Arboris huius velut rami. Comparatur, inquã, ob varias perfectiones in ipſa eminentes, & myſticè ac ſymbolicè in his arboribus deſignatas. *Comparatur arboribus præſtantibus.* Cedro convenit immortalitas, Cypreſſo rectitudo, Palmæ victoria, Platano iucunditas vmbræ, Oliuæ pretium olei, Roſæ odoris gratia. Mariæ autem convenit longè alia celſitudo & immortalitas quàm Cedro, longè alia rectitudo quam Cypreſſo, longè alia victoria quam Palmæ, longè melior vmbra & protectio quam Platano, longè gratior odor quam Roſæ, longè aliud pretium quam Olivæ. Sed vlterius celſitudinem & immortalitatem largitur ſuis, rectitudinem iuſtis, victoriam oppreſſis, vmbram & protectionem afflictis, æternitatis odorem devotis, miſericordiæque oleum omnibus. Verè, ô Maria, tu es arbor celſiſſima, rectiſſima, pretioſiſſima, quæ in auras conſurgis vertice per gratiam excellentiſſimam, & ſtabili ſemper conſiſtis mole, ob humilitatis radicem profundiſſimam. Arbor es rectiſſima & imputribilis, carens omni curuitate & nodoſitate peccati; ſine corruptione aut carie concupiſcente, in tua ſemper perduraſti integritate,

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

tate Arbor es cuius Rami longè latèque extenduntur & altè: *longè ad Angelos, latè ad homines, altè ad Deum*, ait S. Bonaventura. Arbor es huc illuc extenſa, vt veniant volatilia & aves cæli, & ſub ea ſecurè nidulentur: Arbor, cuius vel vmbra vel odor tartareos poteſt enecare ſerpentes: Meritò ergo tibi inclamamus: *Salve Arbor celſa, ſalve Radix ſancta.*

Comparat quoque ſe Deipara in hoc ſermone myſtico non ſolum celſis arboribus, ſed etiam humilibus fruticibus & arbuſtis, quæ vim medicam habent, & odorem fragrantiſſimum, in radice, folijs, fructibus, & maximè illis quæ per aromata ſua ſerviebant Templo, ſicque Deo dicata & ſacra cenſebantur. Ideò ibidem apud Eccleſ. ſubdit: *Sicut cinamomum & balſamũ aromatizans odorem dedi, & ſicut myrrha electa dedi ſuauitatẽ odoris, & quaſi ſtorax & galbanus & vngula & gutta, & quaſi libanus non inciſus vaporavi habitationẽ mea.* Hæc ſunt varia aromata, ex quibus Thymiama ſacrum conficiebatur quod quotidiè manè & veſperi adolebatur Deo in altari Thymiamatis, quodque repræſentabat ardorem devotionis & charitatis, quo ſe Chriſtus in ara Crucis vt incenſum obtulit in odorem ſuavitatis & Maria cum ipſo, illo quidem tempore, ſed & toto decurſu vitæ. Quocirca vapor odoris eius replet cæleſtẽ & terreſtrem habitationem, hoc eſt Eccleſiam militantẽ & triumphantem, eius ſanctitate vbique fragrante, & odorem diffundente; ita vt meritò ei devoti, ſic eam ſalutent ſanctitatis eius & virtutum fragrantia repleti: *Salue Radix ſancta*, trahe nos in odorẽ & ſequelam aromatum tuorum, trahe nos in imitationem virtutum tuarum. Nos ex nobis non ſumus niſi ſylveſtres arbores, ſteriles, & infœcundæ, fac vt inſeramur in te Filioque tuo, & ſic fiamus *ſocii Radicis & pinguedinis*: atq; ita producamus fructũ vocationi & profeſſioni noſtræ congruum, inſtar vitis aut olivæ, inſtar therebinthi aut palmæ, inſtar thuris aut myrrhæ, inſtar cinamomi aut guttæ; ſicque ſimus tibi *Rami honoris & gratiæ*, communicantes & ſugentes ſuccum de Te Radice.

*Rom. 11.*

Cæterum, quia non ſolum Chriſto ſed & Mariæ eius Matri illud dictũ cenſetur, *In Electis mitte Radices*, omnes Religioſæ & piæ Congregationes, & earum auctores, in Ieſu & Maria radicem ſe figere profitentur, & in vtriuſque cultu & devotione ab exordiis felicem progreſſum hactenus nactæ ſunt, & ſanctæ fœcunditatis benedictionem.

*Omnes Religio & familiæ à cultu B. Virg. inceperunt.*

1. *Franciſcani.*

De Franciſcana Religione pauiò ante dixi, quomodò ſcilicet orante S. Franciſco in Ecclesia S. Mariæ Angelorum, quæ & S. Mariæ de Portiuncula dicta eſt) radicem & benedictionem hic Ordo acceperit, & hæreditatem ampliſſimam in Horto Dei, ita vt tunc ei dictũ cenſeatur: *Dilata locũ tentorii tui, longos fac funiculos tuos, ad dextram & lauã penetrabis.* Hoc Maria promiſit, hoc Chriſtus confirmavit; hos ramos & palmites ſacros in fines vſque terræ hæc Radix ſancta emiſit. Quã ſpecioſi Rami Bonauentura, Ant. de Padua, Ludouicus, Bernardinus, Capiſtranus, Alcantara, Iacobus Marchia, & milleni alij, qui radicati in pietate erga Virginem, mirum fructum toto Orbe protulerunt, & Chriſti Mariæque gloriam vbique promouerunt? Fuerunt hi ſicut cinamomum in cortice converſationis, ſicut balſamum in vnctione devotionis, ſicut myrrha in amaricatione caſtigationis & paſſionis, ſicut roſa cum ſpinis compunctionis & odore ſuauitatis, ſicut vitis ob vinum Prædicationis & lætitiæ ſpiritualis, ſicut oliua ob oleum pietatis O Maria, tu es *Radix ſancta*, quæ omnia hæc in eis produxiſti.

*Iſa. 54.*

2. *Dominicani.*

QVid de Dominicano Ordine attexam, nonne & ipſe radicatus & firmatus fuit primitùs in pietate Virginis? Nõnne ipſa S. Dominicum emiſit cum Franciſco ad Orbis converſionem, & fructum ſalutis in populis producendum? Verè ipſa potuit eis dicere: *Ego elegi vos, & poſui vt eatis, & fructum afferatis, & fructus veſter maneat*, quod Chriſtus ſuis dicebat Apoſtolis. Hinc Ordo ille in ea radicatus mox feliciter excreuit, & Virginis gloriam per Roſarij ſanctiſſimi ſanctam ſanè adinventionem promouit, Palmiteſque ſuos frugiferos per varias Orbis partes propagauit, Ramoſque plurimos ſanctitatis produxit. Attende quales Rami virginei & parthenij fuerint S. Thomas de Aquino, S. Antoninus, S. Vincentius Ferrerius, S. Petrus Martyr, B. Ludouicus Bertrandus, S. Hyacinthus, B. Iordanus, B. Conradus de Brixia, & ſexcenti alij celeberrimi, qui addictiſſimi fuêre Virgini Deiparæ & ea cooperante, & in eos influente pietatis rorem, miram tulerunt frugem, mirum ſparſerunt odorem. Et in hac ergò fœcunda Religione meritò ab eius alumnis ſalutatur hac voce, SALVE RADIX SANCTA, SALVE RADIX NOSTRA. Hæc eſt enim Vitis, de cuius ſurculo tantum germen redundat ſæculo, Cœli vinum propinans populo ſalubri, & virali poculo.

*Ioan. 15.*

3. *Carmelitæ.*

CArmelitanus Ordo non minùs Virgini, tamquam Radici, debet fœcunditatem ſuã, quod & agnoſcit. Huius enim alumni ſunt Stirps & Soboles nobilis Mariæ, Socij facti radicis & pinguedinis. Vndè & initio hunc Titulum honoris ſpecialem habuerunt: *Filij & Fratres Mariæ*, ita vt Indulgentia data fuerit his, qui ſic eos nominarent à Põtificibus ſummis. De hoc Ordine liceat mihi dicere illud Iob 14. *Si ſeruierit in terra radix eius, ad odorem aquæ germinabit, & faciet comã quaſi cùm plantatus fuerit.* Viſus eſt hic Ordo quaſi inſenuiſſe quodam tempore, & quaſi iacẽs in puluere; ſed rurſus vireſcit, & rami eius pullulant; quia non eſt emortua Radix eius, nec truncus illius. Nouæ aquæ odore germinans germinat, quam ei affudit S. Teresa, Mariæ Matris auxilio fulta; & cœleſtis huius aquæ rore & odore ſic comam facit, quaſi cùm plantatus fuit ab initio. Sic omnis plantatio, quam facit Pater & Mater cœleſtis, non eradicabitur; ſed fructũ feret, eam licet ſpuria vitulamina ſuffocare conentur,

tur. Audiant ergo novellæ plantationes Carmeli vocem Mariæ, vocemque Tereſæ, ſibi per verba *Eccli. 39.* Eccleſiaſtici dicentis: *Obaudite me diuini Fructus, & quaſi Roſa plantata ſuper rivos aquarum fructifi-cat te. Quaſi Libanus (& Carmelus) odorem ſuauitatis habete Florete Flores quaſi Lilium, & frondete in gratiam, & collaudate Canticum, & benedicite Dominum in operibus ſuis.*

QVòd ſi de Ordinibus antiquis ſermo ſit, quis ambigit Benedictinam Religionem, ex qua *4. Benedictini & Bernardini.* tot Congregationes diverſæ poſtmodum pullularunt, radicatam fuiſſe ſuper pietate erga Virginem, poſt pietatem erga Chriſtum? Docet hoc Arbor delineata generationis ſanctæ ab ea prodeuntis in qua videre eſt electos Ramos innumeros, Mariæ filios dilectiſſimos, qui eius gloriam vbique promovere ſatagerunt Quàm pulchrum eſt cernere S. Maurum in Gallia, S. Placidum in Sicilia, S. Adalbertum in Bohemia, S. Stephanum in Pannonia & Hungaria, S. Bonifacium in Germania. S. Auguſtinum in Anglia, S. Ildephonſum in Hiſpania S. Gregorium in Italia, SS. Remaclum, Hubertum Lambertum in Leodica terra, in gloriam Deiparæ Virg. & Filij eius Ieſu Chriſti conſpirantes, & vnâ voce, vna mente eius honorem & cultum propagare ſtudentes? Hi omnes fuere Palmites S. Benedicti, cum innumeris alijs, virginea devotione irrorati, cui & meritò potuerunt occinere: SALVE RADIX SANCTA, RADIX NOSTRA.

A Benedictino Ordine in Bernardinum derivata eſt & hæc devotio Mariana, quod ſatis ſuis ſcriptis & exemplis teſtatus eſt Mellifluus Bernardus, Chriſti Ieſu collactaneus, ex vbere eiuſdem ſanctæ Matris Lac & Radicem ſugens devotionis, quam & alijs ſuis ſequacibus communicavit. Meritò admiramur & congaudemus, dum Benedictinus Ioſcio, & Ciſtercienſis alter veteranus, in tumulis ſuis ex ore proferunt flores, quibus inſcriptum erat AVE MARIA, meritò & ob illos flores, Mariæ inclamaverimus: *Aue Radix ſancta.*

ORdo quoque Auguſtini, ſiue Eremitarum, ſive Canonicorum Regularium non potuit *5. Auguſtiniani & Norbertini.* eſſe ſanctus, niſi in hac Radice ſancta firmatus. In illa enim radicavit Sanctus Auguſtinus ad Chriſtum & Mariam tanta ſe devotione convertens, vt diceret: *Hinc paſcor à vulnere, hinc lactor ab vbere.* Hinc eius Aſſeclæ primarij toti fuere Virg. Deiparæ ſervi. Hæc Norberto candidi Ordinis Fundatori dedit Regulam S. Auguſtini, vt æmulator foret Patris huius Sancti: dedit & habitum candidum, vt zelator foret cultus virginei. Hinc tot in illo Ordine Virginis eximij cultores effulſerunt. Poſt Sanctum Norbertum pietate in Virginem effulſit B. Hugo eius Socius & Succeſſor, B. Fridericus Horti Mariani in Friſia Præſul, B. Gilbertus in Avernia Abbas Sanctiſſimus, & ſuper omnes B. Hermannus à B. Virgine Ioſeph vocitatus, fuitque admirabilis planè in amore & familiaritate cum Deipara Sponſa ſua & Matre, vt ex eius conſtat vita & geſtis. Servitarum quoque primis Patribus, qui ſic dicti ſunt quaſi ſpeciales Mariæ ſervi, dedit & ipſa habitum & regulam quam obſervant. In his quoque electis miſit radices, quibus incrementum acciperent perfectionis & ſanctitatis, fierentque velut Lilia odoratiſſima in monte deſignato iuxta Florentinam Vrbem, prout viſione cæleſti S. Petro Martyri Ord. Prædicatorum oſtenſum fuit, vt alibi annotavimus:

AC vt de Carthuſianis aliquid hic etiã in medium proferamus, ſi eorum Fundator S. Bruno potuit illud dicere, *Ecce elongaui fugiens, & mãſi in ſolitudine,* id facit Maria duce, quæ deſertum in Paradiſum, ſpinas in Roſas, vepres in lilia per ipſũ voluit convertere. *6. Carthuſiani.* Vndè vt ſcirent Carthuſiæ religioſi incolæ in qua Radice deberent incrementum ſuum accipere cum forent perplexi & anxij, quia multos patiebantur importunos contradictores & diſſuaſores tam auſteræ vitæ, quæ proprij cuiuſdam homicidij ab eis inſimulabatur, cum, inquam horum linguis & ſermonibus exagitarentur, miſſus eſt ad eos à Deipara Virgine S. Petrus, ſignificans eis, vt quotidie perſolverent Officium Virginis Mariæ, ſicque ſcirent fugendam hanc caliginẽ *Chron. Chrtuſ.* contradictionis, & Ordinis propagationem fore felicẽ. Quod factum eſt Exinde etiam hanc Deiparam Virg. in Fautricem & Tutricem, ac Nutricem eximiã ſibi cooptantes, Eccleſias ſuas omnes in diverſis Orbis partibus, eius nomini conſecrarunt. Vndè & Romæ habitant in Eccleſia dicta *Noſtræ Dominæ Angelorũ* Ibi ergo & illud crebrò poſſunt concinere: *Ave Regina Cælorũ, Ave Domina Angelorũ, Salve Radix ſãcta, Radix noſtra ſæcũda & benedicta.* Immò illud adſcribunt ſpeciali patrocinio & beneficio Virginis, quod primitivus Ordinis rigor & vigor hactenus perſeverarit quingentis ſexaginta & ampliùs annis ſine relaxatione, quod alijs nõ contigit Ordinibus, qui variantibus & volventibus ſe ſæculis varia eguerunt reformatione & renovatione De hoc ergo inſtituto poſſumus dicere, *quod Radix eius aperta ſecus aquas* non flaccesſit, nec ſeneſcit, in pulvere, ſed quaſi cũ primùm plantatum fuit, ſic vireſcentẽ comam gerit.

SEd nec hic prætereundæ ſunt recentiores Religiones, in quibus etiam dilucidum eſt, quàm *7. Recentiores Religiones Ordo Minimor. S. Franciſci de Paula.* verum ſit illud Mariæ dictum à Domino: *In electis meis mitte Radices.* S. Franciſcus de Paula inſtitutũ ſuum exordiens, voluit ſuos ſpecialiter vocari *Minimos Ieſu & Mariæ,* illudq; inſtitutũ radicatum voluit in Chriſti Ieſu & Matris Mariæ humillima imitatione, Cui quidem Matri iam à pueritia deditiſſimus fuerat, & pietatẽ erga eã cum lacte ſuxerat. Vnde quoties Patrẽ vel Matrẽ alloquebatur, aut ſalutabat, hanc ſalutationẽ præmittebat, *Ave Maria* quod & toto continauit vitæ decurſu. Atq; ad imitationẽ ipſius etiã modò eius alumni nõ ſe ſalutãt aut colloquuntur, niſi priùs eiſdẽ verbis V. Matri ſalutẽ præſentarint Ipſe etiã ſpiritum novæ & auſteræ huius Religionis hauſit in Eccleſia de Portiũ-

cula

culá, ſive N. Dominæ Angelorum, adiuuante eum apud Mariam & Ieſum S. Franciſco Aſſiſiate. Quare ambiguum non eſt, dictam Religionem ſuam firmaſſe in eadem quàm Franciſcus fœcundâ & ſancta radice. Dicere ergo & ipſe meritò cum ſuis poteſt, *Ave Domina Angelorum, ſalve radix ſancta &c.*

*PP. Societatis IESV.*

Celebris eſt & S. Ignatius, cuius iam inſtitutum integro ſæculo perduravit felici progreſſu, ita vt annum Iubilæum a 1640. exemplum ſolemni & ſacro ritu Patres Societatis celebrârint. Hic à prima ſua converſione Deiparam in ſingularem Paronã elegit: & de Societate ſua cogitans, ſine Matre Ieſu nihil aggreſſus eſt, nihil perfecit; eamque Societatem in eius conſtantiſſima pietate radicatã, firmatam, ſanctificatam voluit. Vndè perfectionis deſiderium, quod in templo B. Mariæ de Monte Serrato vigilans totâ nocte in Annuntiationis vigilia cum lachrymis & ferventibus precibus inchoavit, poſtmodum in æde B. Virginis (quæ Mõs Martyrum dicitur, vulgò Montmatre) iuxta Pariſios perfecit, votum cum novem Socijs emittens de procuranda ſalute animarum. Primum quoque ſuum Sacrificium, ad quod ſe vno anno anteà præparaverat, Romæ ad Chriſti præſepe in S. Maria Maiore celebravit, Deiparæ ſeipſum & omnia ſua conſilia offerens, vt felicem ſortirentur effectum eius ope & influxu. An non ergo hæc ei Mater honorificata? An non in omnibus vijs & conſilijs eum direxit & obviauit? An non ei Radix effecta eſt ſanitatis & perfectionis? Ideò tam felices fœcundoſque ramos produxit in vniverſum Orbẽ emittendos, vt gloriam Ieſu & Mariæ propagarent. Quàm felix Ramus Franciſcus Xaverius, quamque fœcundus per Indos & Iapones, Nomen Ieſu & Mariæ circumferens? quàm ſanctæ feliciſq; propaginis Palmites? Gaſpar Barzæus ad Armuſios: Andreas Oviedo ad Abyſſinos: Mathæus Riccius ad Sinas: Ioſephus Anchieta ad Braſilios emiſſi, & ad ignotas Orbis partes folia ad ſanitatem gentiũ, vmbram, fructumque extendentes? Certè hi omnes, & innumeri alij, agnoſcunt Virginis Deiparæ hanc ſuam fertilitatem & frugem adſcribendam: Vnde illi inclamant; *Salue Radix ſancta, ſalue Porta ex qua noua nouo mundo lux eſt orta.*

*Congregationes variæ Sacerdotũ.*

Prætereo hic varias Congregationes Sacerdotum, ſive à S. Philippo Nerio, Virginis dilectiſſimo Filio & ſervo, in Italia, & per alios illuſtres pietate Viros in Gallia, & alibi, ſub nomine Oratorij inſtitutas; ſive à S. Carolo Borrhomæo itidem Virginis Deiparæ amantiſſimo, alio ſub nomine ſaluti populorum in Lombardia conſecratas, quæ omnes radicatæ ſuper pietate erga Virginem, frugem ſanctam protulerunt, & hactenus proferunt.

*Ac Virginum.*

Taceo etiam varias Virginum Congregationes, Claræ, Brigittæ, Catharinæ de Senis, Beatricis, & aliarum auxilio & exemplo erectas cum ſanctitatis odore, & virginitatis flore, quem florem & odorem non tulerunt niſi in hac Radice. Hoc elariũ nimis eſt in Religionibus recens erectis ſub titulo Conceptionis, ſub titulo Viſitationis, & maximè ſub titulo Annunciationis Virginis. Hæc enim poſtrema non habet aliam Radicem niſi *Ave Maria* in qua Salutatione excelluerunt primariæ Virginis à Deo electæ virtutes & prærogativæ ſuper quarum imitatione, inſpiratum eſt S. Ioannæ, Reginæ Galliæ, Ordinem ſuum initiare & radicare. Dicat ergo & hæc cum ſuis Mariæ, *Salue Radix ſancta, Radix fœcunda & benedicta Radix noſtra.*

---

## SALVE PORTA, EX QVA MVNDO LUX EST ORTA.

*SECT. III.*

*B. Virgo ſæpe Porta vocatur.*

MARIA frequenter ex ſacris litteris, & Scriptoribus Agiographis, honoratur ab Eccleſia, & invocatur ſub titulo Portæ cæli, Portæ luci, Portæ Orientis Portæ, Regis, vt conſtat ex Canticis Eccleſiæ, ex Litanijs, & alijs pijs Orationibus.

*Qualis Porta.*

Hæc igitur eſt Porta Paradiſi, ad quem per eam ſperamus tandem ab hoc exilio reverti, Romphæâ verſatili, & omni alio obice moto. Ipſa enim per Filium omne removit impedimentum.

Hæc eſt de qua cum Iacob viſione cæleſti illuſtrato poſſumus exclamare: *Domus Dei eſt, & Porta cæli, & vocabitur aula Dei.* Eſt enim ſimul & Porta & Scala cæli, cui innixus eſt Dominus, quæ & Domino innixa eſt, per quam cum Angelis in cælum aſcendimus.

Hæc eſt Porta de qua Ezechiel, quæ in gratiam Principis ſemper eſt clauſa ſignaculo virginitatis perpetuæ, Princepsque ſolus pertranſibit per eam, & ſedebit in ea, & nihilominus permanebit clauſa. Principis cœleſtis Inſignia ac Stemmata primaria, ſcilicet Bonitas & Sanctitas Sapientia & Potentia iugiter elucеſcent in illa, & agnoſcetur tamquam auguſtiſſima Auguſtiſſimi Regis Porta.

*Pſ. 86.*

Hæc eſt de qua Rex & Propheta: *Diligit Dominus Portas Sion ſuper omnia Tabernacula Iacob.* Eius enim Virginitas & Maternitas quaſi duplex eſt Porta Deo dilectiſſima, per quam venit ad nos, vt & nos rediremus ad ipſum, ipſâ mediante.

*Iob. 38.*

Hæc eſt Porta & Via de qua Iob olim interrogatus: *Dic mihi qua via ſpargitur lux, & dividitur æſtus ſuper terram?* Certè huic interrogationi aptè reſpondere poſſumus. Per Mariam, tamquam viam & cæli ianuam, lux gratiæ ſpargitur in nos, & æſtus diuini amoris dividitur ſuper terrena & algida corda.

Hæc eſt Porta Lucis fulgida, Porta Orientis, per quam viſitavit nos Oriens ex alto, illuminans hos qui in tenebris & in vmbra mortis ſedebant, ad dirigendos pedes eorum in viam pacis, vt canit Zacharias.

Hæc eſt Porta quæ nos eruit de portis mortis, vt annunciemus laudes Domini in portis filiæ Si-
Pſal. 107. on. De quibus & Pſaltes: *Aperite mihi portas iuſtitia, ingreſſus in eas confitebor Domino. Hac Porta Domini, iuſti intrabunt in eam.*

Quid plura? Hæc eſt de qua meritò nunc canimus, *Salue Porta ex qua mundo lux eſt orta*: non ſolum quia per eam ad nos venit Filius Dei, qui eſt Lumen de Lumine, & Candor Lucis æternæ, Lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, Lux hominum & Angelorum: ſed etiam quia omne donum quod deſcendit à Patre Luminum, per Mariam ad nos deſcendit. tamquam per Portam lucis, immò & Matrem luminis.
Ioan. 10. Et quomodò eius Filius olim dixit, *Ego ſum oſtiũ, per me ſi quis introierit: ſalvabitur, & paſcua inveniet*: ita etiam proportione quadam idipſum Maria poteſt dicere, per quam acceſſum habemus non ſolùm ad gratiam, ſed etiam gloriam, ad paſcua vberrima, ad ſalutem, ad lucem æternam. Per illam intraverunt quotquot intraverunt. Quicquid gratiæ in iuſtis, quicquid Sapientiæ in Apoſtolis, quicquid fortitudinis in Martyribus, quicquid pietatis in Religioſis & Sacerdotibus, quicquid puritatis in Virginibus, quicquid lucis Fidei in Chriſtianis omnibus, per Mariam venit, & per eam conſummatio erit luminis in Regione æternæ lucis.

Denique, hæc eſt Porta & Ianua, quæ ſemper erit aperta peccatoribus, vt ad Deum redeant, & reconciliati benignè ſuſcipiantur. Claudetur tamen tandem hæc Porta ſeriò verò venientibus, & dicetur eis, *Neſcio vos clauſa eſt ianua.* Quia tunc nec Virginis merita, nec preces eis potuerunt prôdeſſe, qui accedere noluerunt dum pateret latiſſimè & benigniſſimè Ianua iſta omnibus, ita vt invitarentur accedere, & omni frui felicitate.

Romæ in Iubilæo aperiri ſolent Portæ ſanctæ fores, quæ & Aurea Porta dicitur. Qua quidem apertione cũ ſolemnitate facta, ſignificatur aperiri tunc Theſaurum aureum Eccleſiæ; immò & Ianuã Cæli, remotis omnibus impedimentis; culpa ſcilicet per pœnitentiam, pænâ per indulgentiam. Maria eſt Porta aurea, Portaque ſancta, quæ non ſolùm anno centeſimo, aut quinquageſimo, aut trigeſimo quinto aperitur, vt pateat ad theſaurum Dei aditus & via, quo exſolvantur debita noſtrorum peccatorum, & removeantur omnia Cæli obſtacula: ſed ſemper præſto eſt, patetque illa Porta omnibus pœnitentibus, omnibus piè accedentibus, ſemper viam præbet ad gratiæ theſaurum, cuius & ipſa ſimul Clavigera eſt. Per hanc Portam S. & Auream Maria Ægyptiaca ad Crucem Domini acceſſum habuit, ſibi anteà cælitùs negatam, cùm vi qu... m ſibi ignota repelleretur ab ingreſſu Eccleſiæ Sanctæ Crucis. In imaginem autem Virginis, quæ ſuperiùs in porta eminebat, vultum & animum pium intendens, vota potita eſt gratiam in venit & veniam, ſimulque ianuam perfectionis, & tandem omnigenæ felicitatis. Potuit ergo & hæc dicere Mariæ toto decurſu vitæ ſuæ: *Salve Porta ex qua mihi lux eſt orta*

Prætereo & infinitos alios qui lucem hauſerunt, & ad illam introitum habuerunt, per Mariam fulgidam cæli Portam, ita vt meritò illud attribuatur *Beati qui manè vigilant ad me, & obſeruant ad* Proverb.
*poſtes oſtij mei, qui me invenerit, inveniet vitam, &* 8.
*hauriet ſalutẽ à Domino.* Sic legimus quòd circa Eccleſiam S. Mariæ Angelorum de Portiuncula & de Portiſcula dictum, ſive de Parva Porta, cælſti revelatione viſi ſunt multi cæci. Proceſſionem ſcilicet circa dictam Eccleſiam faciebant, vt invenirẽt lucem veram, ſalutem, obſervantes poſtes hos ſacros, & circa illos oberrantes, vt Chronica Ordinis S. Franciſci teſtantur. Sed multi alij tali ſunt percuſſi cæcitate, vt oſtium hoc noſtrum non poſſint reperire, ſicut cives Sodomæ circa domum Loth exerrantes & impingentes.

Illud hic etiam poſtremò attendendum, quòd ſicut Maria Virgo Porta fuit, quâ primitùs in hunc mundum lux irradiavit, & caliginem errorum & idololatriæ diſſipavit, ita etiam in novo Orbe Porta fuit, per quam lux Evangelij intravit & coruſcavit, vt infideles ad hanc lucem oculos aperirent, & fidem ſuſciperent. Mirè enim adiuvit primos ibi Fidei ſatores: & luce zeloque accendit, vt alios & ipſi illuminarent & accenderent, forentque velut Angeli Lucis contra Angelos tenebrarum dimicantes.

Propterea Emmanuel, Portugalliæ Rex, conſiderans quod Gabriel Archangelus mundo inveterato & gementi ſub infidelitate, nuncium renovationis & lætitiæ attulerit, quando Mariam lucis nuntius ſalutavit, primariæ Navi ſuæ nomẽ dedit Gabriëlis Archangeli, ei inſcribens AVE MARIA, tamquam Teſſeram & Symbolam militare, quo novus Exercitus in novum vehebatur Orbem, deſiderio annunciandi Evangelium, lætum & lucidũ ſalutis Nuncium populis illis detentis ſub caliginoſa captivitate diaboli. Voluit ergo id fieri ſub Deiparæ Mariæ auſpicijs, & ſub ductu & directione Gabrielis; ideò felicem ſortitus eſt ad populos illos ingreſſum. Potuit itaque meritò ipſe & exercitus eius in felici progreſſu lucis Evangelicæ novo huic Orbi invectæ, his verbis Deiparam ſalutaae: *Salve Porta ex qua mundo lux eſt orta.*

Similiter S. Franc. Xaverius, Iaponiorum Apoſtolus, nihil aggredi voluit in hoc divino opere niſi Maria duce, & ſub eius directione & luce. Hanc ſecutus eſt, ſicut Moyſes. quaſi columnam ignis prælucentem per caliginoſa diſcrimina quod Felix ei Fauſtumque fuit. In die Aſſumptionis in Monte Martyrum propè Pariſios in Templo Beatiſſimæ Virginis, cùm S. Ignatio votum fecerat proficiſcẽdi ad ſalutem animarum. Illo itidem feſtivo Aſſumptionis die poſt aliquot annorum curriculum in Iaponiam pervenit non obſtantibus plurimis

difficul-

difficultatibus, quibus eam nauigationem Satanas impedire conatus fuit. Sed Virginis ope omnia ſuperauit impedimenta, & tam præclara operatus eſt ad Dei gloriam, & populorum illorum ſalutem & lucem. Dicat ergò & S. Xaverius Mariæ: *Salue Porta, ex qua mundo lux eſt orta.* Dicat cum Apoſtolo: *Oſtium mihi magnum apertum eſt, & euidens, & aduerſarij multi.* Sed quis aperuit? Maria. Quis hoſtes & aduerſarios ſuperauit? Maria. Quis lucem illuc invexit? Maria, Porta lucis fulgida. Quis evicit pericula tanta, nebuloſas tempeſtates, & frementia maria? *MARIA.*

*1. Cor. 16.*

Quapropter ſupradictus Emmanuel Portugalliæ Rex, patefacta iam India, primùm omnium toto regno ſupplicationes indixit: deinde Mariæ Virgini, eius nauigationis Præſidi, ædificatam ab Henrico Principe ædiculam in ipſo aditu portus Vliſſiponenſis miram in altitudinem extruxit & auxit. Ad eius Templi cuſtodiam, & cæremonias, & naualis præſertim turbæ, Ducumque expiandos animos, eximia ſanctitate Monachi acciti ſunt è Hieronymiana familia: locus ſumpto à Chriſti incunabulis nomine, Bethleem dictus, in primis totius Hiſpaniæ, tum ſtructura, tum religione viſendus. Hæc Maffeius teſtatur, lib. 2. Hiſtor. Agnonit igitur Rex, quàm aptè Mariæ conveniret vtraque hæc Salutatio: *Salue Portus, ſalue Porta.*

---

SECT. IV.

## GAVDE VIRGO GLORIOSA.

*Amor duplex amicitiæ & concupiſcentiæ.*

THeologi duplicem amorem diſtinguunt, vnum vocant amorem amicitiæ, alterum concupiſcentiæ. Amorem amicitiæ vocant, ſive beneuolentiæ, quo alicui omne bonum optamus purè propter ſe, & de eius bono gaudemus purè propter ipſum, non propter commodum vllum noſtrum. Amorem concupiſcentię vocant, vel mixtim amorem amicitiæ & concupiſcentiæ, quando alicui bonum optamus, & gaudemus, quia indè in nos reſultat aliquod etiam commodum vel bonum. Sic ex amici opibus, potentia, gloria, in amicum refluit promotio, honor, beneficium, & indè gaudium illi & congratulatio. Hic amor non eſt purus, nec perfectus. Ideò S. Doctores, cùm de amore Dei, & de gaudio ob Deum loquuntur, volunt eſſe omninò purum & perfectum, vt ſit amor & gaudium de Deo propter Deum. Hoc commendant, & aliud omne imperfectionis arguunt. Audi S. Auguſtinum *Eſt autem gaudium quod non datur impijs, ſed ijs qui te gratis colunt, quorum gaudium tu ipſe es: & ipſa eſt beata vita, gaudere de te, in te, per te. Ipſa eſt, & non alia; qui autem putant eſſe aliud gaudium, ſectantur illud, nec tamen verum.*

*Lib. 10. Confeſſ. c. 22.*

Hunc amorem & gaudium conantur in hac vita ſibi comparare, qui perfectionis ſunt auidi ſectatores; & per Dei gratiam amoris illius & gaudij compotes fiunt. Huc ſpectat quod pia quædam perſona dixiſſe legitur de ſe ipſa, cum humili & ſincera confeſſione: *Experior me ita animo compoſitam, vt nihil me gaudio afficere poſſe videatur, niſi quod Deus ſit: immò videtur mihi hoc gaudium experimentale minimũ eſſe ſed affectui meo abundè ſufficit, quod Deus ſit, & gaudeat ipſe ſe eſſe quod eſt.* Hæc vere pura eſt benevolentia, purum gaudium quod hic inchoatur in via, perficietur in patria, vbi vnuſquiſque magis de Dei, quàm de ſua beatitudine gaudebit.

Huc etiam referri poteſt, quod S. Auguſtino nonnulli adſcribunt: *Domine valdè exultat in te anima mea, dum cogitat quod tu ſis Deus meus. Verumtamen ſi fieri poſſet vt Auguſtinus eſſet Deus, & tu eſſes Auguſtinus, omninò vellem eſſe Auguſtinus, vt tu eſſes Deus,* Quod quidem intellige nõ de mutatione perſonæ in perſonam, aut ſubſtantiæ in ſubſtantiam, ſed de mutatione ſtatus in ſtatum, ſive de mutatione conditionum & qualitatum. Si enim Deus mutaretur in perſonam, aut ſubſtantiam Auguſtini, tunc deſineret eſſe Deus. Et ſi Auguſtinus mutaretur in ſubſtantiam Dei, deſineret eſſe Auguſtinus, & fieret Deus: atque ita & à ſeipſo & à quocumque alio ſuper omnia amandus eſſet, & cuilibet præponendus. Senſus ergò ſententiæ eſt: Si per impoſſibile fieri poſſet vt Auguſtinus manens in perſona & ſubſtantia Auguſtini, dotes tamen & excellentias Dei conſequi poſſet, ſapientiam, potentiam, gloriam Dei, ita vt ab omnibus haberetur Deus: viciſſim ſi fieri poſſet, vt Deus manens in ſua natura deſcenderet ad ſtatum, abiectionem, & infirmitates Auguſtini, ſi indueret ſpeciem & formam Auguſtini, ita vt ab omnibus haberetur Auguſtinus, Ego dicerem, Domine eſto Deus vt antè omnipotens, omniſcius, & glorioſus; Ego verò ſim Auguſtinus, miſer, abiectus, inglorius, ignorans, vt antè fui. Tuæ enim naturæ, id eſt, Diuinitati, debentur illæ excellentiæ; meæ autem debetur miſeria & infirmitas. Tibi ergò cupio, & tranſcribo omne bonum tuum, tu es Deus meus & amor meus. Ita Cornelius in cap. S. Ezech.

*Amor S. Auguſt. erga Deũ Ribadeneira, Roſſignolius, Lancilottus, Doctor. Ord. S. Auguſtini, id ei tribuit in vita S. Auguſtini.*

Sicut autem de Deo gaudium concipere debemus propter ipſummet, & propter infinitas ſuas perfectiones eſſentieles, quia ipſe eſt ſumma & infinita in ſe bonitas, potentia, ſapientia, ſanctitas: ita quadam proportione congaudere debemus Mariæ propter ipſam: quia ſcilicet Deus eam tot donis & priuilegijs, tot gratijs & benedictionibus præuenit, & glorioſam effecit; eam ſuæ bonitatis, potentiæ, ſapientiæ, ſanctitatis, gloriæ participem efficiens ſuper omnes creaturas; ita vt ſuper eam nihil ſit niſi Deus. Hoc ipſa per vocem Eccleſiæ à nobis poſcere auditur, dum canitur: *Congratulamini mihi, quia cùm eſſem paruula, placui Altiſſimo, & de meis viſceribus genui Deum & hominem.* Propterea & propheticè ipſa pronunciauit. *Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes, quia fecit mihi magna, qui potens eſt.* Hoc itaque adimplemus, dum hic canimus: *Gaude Virgo glorioſa, ſuper omnes ſpecioſa.* Quia dicere-

*Congaudendum B. Virgini quemadmodũ Deo, ſed cum proportione.*

*Luc. 1.*

mus

mus: Nos Tibi congaudemus, & virginitati tuæ, & ſpeciei tuæ, & gratiæ, & electioni tuæ, & gloriæ ac exaltationi tuæ, ô Virgo glorioſa!

Gratiſſimum eſt Virgini, quando pia & læta mente gaudia renouamus & rememoramus, ſive quæ in terris, ſive quæ in Cœlis eſt conſecuta: quā. do magnificat anima noſtra Dominum cum anima eius, & exultat ſpiritus noſter cum ſpiritu eius in Deo ſalutari ſuo, quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ, & prævenit eam in benedictionibus dulcedinis numquam obliuioni tradendæ, ſed totis ſæculis celebriter rememorandæ, immò tota æternitate cum iubilo Angelorum & hominum renouandæ.

*Recitatio Coronæ quinque Decadū in memoriam quinque myſteriorum primariorū gaudioſorum B. Virgini eſt grata. In Stellario l. 2. p. 2. & 3.*

Quapropter pius Eccleſiæ mos, à S. Dominico, & alijs Sanctis originem ducens, offert ei Coronam floridam ex quinque Decadibus, in quibus quinquageſies *Aue Maria* repetitur, contextam in memoriam quinque primariorum myſteriorum, quæ gaudioſa dicuntur. Exemplis poſſet comprobari varijs, gratiſſimum id eſſe Virgini.

S. Bernardinus teſtatus eſt quicquid vnquam gratiæ & chariſmatum cœlitus obtinuit, ſe illud obtinuiſſe per devotam recordationem gaudiorum B. Virginis Mariæ, in quorum honorem quotidiè coronam recitabat. Refert quoque Pelbartus Ordinis Minorum Theologus dicto Bernardino ſemel coronam magno pietatis ſenſu recitanti Deiparam apparuiſſe, ſicque eum allocutam fuiſſe: *Bernardine, devote mi famule, multum mihi in tua devotione complacui, pro qua impetraui tibi à Filio meo gratiam verbi, & miraculorum. Ac ſcito tandem te in cœlis gaudij mei participem futurum.* Quod vtrumque promiſſum conſecutus eſt Bernardinus.

Certè ab adoleſcentia addictiſſimus fuit Virgini huic ſpecioſæ, eius ſpeciem internam & puritatem contemplando, & in ea ſibi complacendo. Quapropter quotidiè manè extra portam Vrbis Senenſis egrediebatur, vbi Imago quædam Virginis viſebatur, quam ipſe tenerrima devotione de die in diem ſalutare non omittebat. Cumque familiares & domeſtici interrogarent, quò tam frequenter exiret, reſpondebat ſe quamdam viſitare amicam ſupra modum ſpecioſam & dilectam. Nec intellexerunt quid vellet; ſed animum ſuſpicione pendulum gerebant, donec eum explorantes, aliquoties coram dicta imagine orantem repererunt. Poterat ergò meritò ipſe iuxta Portam orans, & in imagine ſua Virginem ſalutans, illud dicere: *Salue Porta, ex qua mundo lux eſt orta, Gaude Virgo glorioſa, ſuper omnes ſpecioſa.*

*Gratum item recitare ſepties ſalutationem Angelicā, in honorem 7. gaudiorū*

Alijs etiam pijs in Virginem familiare eſt per ſingulos dies recitare ſepties Angelicam Salutationem, in honorem ſeptem gaudiorum, quibus cum Filio in terris perfuſa fuit in ſeptem myſterijs. In annunciatione ſcilicet & legatione Angelica, quando agnouit ſe Dei Matrem electam: In viſitatione Elizabethæ, quando erupit in ſuauiſſimas Dei laudes. In Natiuitate Filij, quando germinauit vt Lilium lætabunda & laudans in medio Angelorum: In adoratione Magorum ab Oriente Stella duce adventantium, quando gauiſi ſunt & ipſi gaudio magno valdè: In inventione Filij in templo, quando poſt luctum aliquot noctium lætitia ſpeciali delibuta fuit, ob theſaurum ſuum, & cordis auream gemmam repertam: In Filij glorioſa Reſurrectione, & prima ei facta apparitione, cantantibus Angelis, *Regina cœli lætare:* In Aſcenſione eiuſdem triumphante, duplici eum caterua gloriosa cingente, & in cœlum comitante, aut præeunte. In ſingulis ergò myſterijs iſtis gaudioſis rectè illud Mariæ rememorabimus: *Gaude Virgo glorioſa.* Hoc ei pergratum eſt, ſi & nos in illis gaudium congratulationis eliciamus, & ibi concaleſcat cor noſtrum, in meditationeque noſtra exardeſcat tunc ignis lætitiæ & amoris. Horum gaudiorum rememoratio quotidiana per ſeptem *Pater & Aue Maria* commendatur omnibus, qui ſacro Sodalitio Beatæ Mariæ de Carmelo adſcribuntur, ſecundùm dicti Sodalitij pias Regulas. Per id etiam fit vt meminerimus quàm iuſto titulo Maria dicatur per excellentiam, CAVSA NOSTRÆ LÆTITIÆ.

Neque ſolùm Mariæ gratum eſt, ſi rememoremus gaudia, quibus in terris affecta fuit, ſed etiam illa quibus fruitur nunc in cœlis. Hoc enim ipſa dilectis ſuis ſeruis ſignificaſſe legitur, ſcilicet B. Arnulpho Ciſtercienſis Ord. vt refert Franciſcus Moſchus in eius vita: & longè antè B. Thomæ Cantuarienſi. Huic Virgo Mater ſe videndam offerens, dum Salutationem Angelicam ſepties iteraſſet magno pietatis ſenſu in honorem ſeptem gaudiorum, dixit. *Obſequium tuum, ô Thoma, mihi acceptum eſt: ſed cur tantùm meminiſti eorum gaudiorum, quibus afficiebar in terris? Recole etiam in poſterum ea, quibus fruor in cœlis: nam honorantē tam hæc quàm illa in hora exitus ſolabor, & ſiſtam Filio meo dilecto. Mirè exultans Thomas, ait: Qua ratione, ô Domina mea dilectiſſima id præſtem, cùm illa ignorem niſi te docente? Cui Virgo: Septem ſunt primaria, quæ etiam ſeptena ſalutatione honorabis. Sunt autem hæc:*

*Septem primaria gaudia, quibus B. Virgo in Cœlis perfruitur.*

1. *Gaudeo quia propè Sanctiſſimam Trinitatem ſupra rem omnem purè creatam, primos honores obtineo.*

2. *Quia intemeratæ Virginitatis aureola omnes Angelorum & Sanctorum Ordines longè antecello.*

3. *Quia ingens lumen gloriæ meæ, inſtar Solis Curiam cœli illuſtrat vniuerſam.*

4. *Quia omnes cœli indigenæ me vt Deiparam venerantur, & colunt.*

5. *Quia à Filio nacta ſum facultatem quidlibet impetrandi.*

6. *Quia olim in terris mihi immenſa fuit collata gratia: meisq; clientibus iam in cœlo ingens gloria à Filio eſt præparata.*

7. *Quia gloria mea nouis ſurget incrementis ad diem vſque extremum, & indè perennabit in omnem æternitatem.*

Sic hæc gaudia refert Kalendarium Mariæ

virg. Decemb. 29 Quæ paulò aliter eodem tamen fere ſenſu referuntur in vita Beati Arnulphi, ſicut retulimus explicantes illud, *Vt videntes Ieſum ſemper collætemur*, Ave Maris Stella.

*Affectus Caroli filii S. Brigittæ erga B. Virgin.*

In hoc ſancto Exercitio videtur verſatus fuiſſe Carolus filius S. Brigittæ, ideoque felicem nactus fuit mortem, protegente eam Beatiſſimâ Virgine à dæmonum inſidijs & aſſultibus, ob piam & frequentem memoriam quam habuerat gaudiorum & gloriæ ipſius. Sic enim teſtatur Beata Virgo in quadam revelatione facta Brigittæ: *Dum hæc anima in corpore erat, magnam charitatem habuit ad me, revolens hoc ſæpius in corde ſuo, quòd me Deus ſuam Matrem dignatus ſit facere, & quòd ſuper omnia creata voluit me exaltare: & ex hoc tantâ charitate cæpit Deum diligere, quod in corde ſuo dicebat ſic: In tantum ego gaudeo, quòd Deus Virginem Mariam Matrem ſuam habet ſuper omnia chariſſimam, quòd nulla creatura vel corporalis delectatio eſt in mundo, quam ego in permutationem illius gaudii reciperem; immò illud gaudium omnibus delectationibus terrenis præferrem; & ſi poſſibile eſſet, quòd illa in vno puncto minimo à dignitate in qua eſt, remotior fieri poſſet, ego magis in permutationem eligerem in profundo inferni æternaliter cruciari. Et idcircò ſit ipſi Deo pro benedicta gratia & illa immenſa gloria quam dedit ſuæ Matri digniſſima infinita gratiarum actio & gloria ſempiterna.* Hæc Maria de Carolo atteſtata eſt, vt habetur l. 7. reuel. c. 13. O miram benevolentiam, purumque affectum & pietatem erga Deiparam, propter quam non potuit perire tantæ pietatis filius parthenius!

*Affectus S. Brigittæ erga eandem Virginẽ.*

Hunc autem pietatis affectum didicerat à Matre ſua Brigitta; tantum ſcilicet pia valet educatio & inſtructio! Refert enim ipſa ſe quodam die coram Virgine glorioſa proſtratam corpore, ſpiritu autem miro modo elevatam, hiſce aut ſimilibus verbis eam compellaſſe: *O Maria, Mater Ieſu, ſis in æternum benedicta, & benedictus Filius tuus Ieſus, ob gaudia quæ hactenus in me ſum experta, propter felicitatem quam es conſecuta, quòd ſis Mater eius honorificata. Teſtis mihi ſit Filius tuus, qui omnium ſcrutatur corda, an non magis te ſine comparatione diligam, quàm proprios natos meos: Et an non potiùs eligerem numquam diem lucemque hanc Solis percepiſſe, quàm Mariam Matrem Dei, ſicut eſt, non eſſe: immò quod potius optarem in abyſſum inferni deſcedere, quàm audire quòd Maria non ſit Mater Dei & Regina Vniverſi.* Hoc verò reſpondit Maria: *O filia, certa ſis quòd Maria quam diligis, tibi longè melius proderit, quàm tibi ipſa; quodque filiis tuis mille millies melior Mater erit quàm tu ipſis.* Mira certè pietas, & digna quæ Matribus & filiis inculcetur. Alta merces Matris Mariæ erga filios adoptiuos, puro amore in Matrem talem affectos, gloriæque eius zelotypos.

## SVPER OMNES SPECIOSA DE PVLCHRITVDINE B. VIRGINIS CORPORALI.

*Exterior Corporis pulchritudo eſt fallax. Prov 31.*

De exteriori ſpecie corporis, quam ambit fæmineus ſexus, qui ſolet eſſe philocoſmus, aſſerit Sapiens fallacem eſſe & fugacem, ideoque in illa non eſſe gloriandum, nec animum ei adiiciendum: *Fallax gratia, & vana eſt pulchritudo; mulier timens Dominum ipſa laudabitur.* Quaſi dicat Venuſtas gratioſa, ſiue naturalis, ſive adſcitia, citò tollitur & evaneſcit, fallitur & fallit, brevis eſt & caduca; deperit per morbum, ætatem, laborem, aliaque accidentia: At pulchritudo in timore & gratia Dei ſita, ſolida eſt & vera, manens in ſæcula, dignaque laude verâ coram Deo, Angelis & hominibus, ideoque toto ſtudio ambienda, & conſervanda.

*Comparatur floribus Vernis*

Certè antiqui Patres & Sapientes, propter fallaciam hanc & fugacitatem, & pulchritudinem corpoream, quæ ludibrium eſt temporis & ægritudinis, compararunt floribus vernalibus, qui exiguo tempore in ſuo perſeverant decore. Quare S. Nazianzenus eam vocat, *Fragile bonum*, Orat. 31.

*Forma bonum fragile eſt, quantumque accedit ad annos,*
*Fit minor, & ſpatio carpitur ipſa ſuo.*

Advertunt etiam nonnulli, illas mulieres quæ ſacris in literis à pulchritudine laudem habent, nomen habuiſſe à floribus vel plantis. Sic Thamar idem eſt quod Palma, hæc Abſalonis ſoror, ob venuſtatem ab Ammone fratre legitur concupita, 2. Reg. 14. Suſanna idem eſt quod Lilium, in huius concupiſcentiam ob pulchritudinem exarſerunt Senes, Dan, 13. Eſther, dicta Edeſſa, idem eſt quod myrthus, vel myrthea; hæc ab Aſſuero maximè eſt adamata ob gratiam & ſpeciem. His interim nominibus ſignificatur, decorem & pulchritudinem mundanam eſſe ſicut plantarum, florum, arborum, herbarum; fugacem ſcilicet, de qua dicere poſſis: *Manè ſicut herba tranſeat, veſpere decidat, induret, & areſcat.* Sic & de hædera Ionæ vnâ nocte exareſcente dicitur in Hebræo: *Filia noctis erat, filia noctis periit.* Et de Roſa, qui flos eſt venuſtiſſimus, ſuaveolentiſſimus, pulcherrimus, quia caduci tamen eſt decoris, eo die deflorens quo floruit, canit Poeta: *Iſa. 29* *Ionæ 4.*

*Quàm longa vna dies, ætas tam longa roſarum,*
*Quas pubeſcentes iuncta ſenecta premit.*

Quapropter Roſa, ſicut & alij flores, index eſt vanitatis mundanæ incorporea formoſitate, & omni alia caduca inanitate; cum vnius diei ſpatio folijs reſplendens, mox ijs languidis in terram ſternitur, ſolis ludibrium, ventorum ſufflamentum, pedum calcantium opprobrium. De hac re ſat concinnè luſit Poeta Gallus:

*D'u gentil corſage Et du beau viſage:*
*Que doit, on ſcauoir?*
*C'eſt au gemetiere: Que ceſte matiere:*
*Il faut aller voir,*

Advertunt quoque Interpretes ſacri, ideò pulchritudinem dici fallacem, quia multos fallit & decipit. Tum, quia fallit eos qui in ea gloriantur, & exinde ſuperbiunt, & evaneſcunt in cogitationibus ſuis, immò ob eam incontinentiæ ſe dedunt, de quibus Poëta.

*Faſtus ineſt pulchris, ſequiturq; ſuperbia formam,*
*Lis eſt cum forma magna pudicitia.*

Tum etiam quia illos fallit qui eâ capiuntur, tentantur, deijciuntur: Sic fit vt pluribus ſit pulchritudo tamquam velum oculis, laqueus pedibus, viſcus alis, ignis vrens, morſus venenatus, oblivio rationis, tormentum libidinis, deceptio & deiectio infelix. Patet in filijs Dei, qui capti pulchritudine filiarum hominum, in libidines proruerunt cælo ingratas; hoc eſt in filijs Seth, qui amore filiarum Cain illecti, cælo vindice ſunt plexi, quando omnis caro corruperat viam ſuam. Idipſum patuit in filijs Iſrael in deſerto pulchritudine filiarum Moab deceptis, & ad idololatriam devolutis Item in Principe Emor Dinæ ſpecie ad ſtuprum infelix proruente. In Holoferne à Iudith obtruncato, cuius oculos antea ei eripuerant non ſolum ſpecies vultus, ſed & ipſa ſandalia. Denique in ſenibus quibus exprobratur: *Species decepit te, & conſcientia ſubverit cor tuum.*

*Num.25.* *Dan.13.*

Interim quamvis corporis pulchritudo, quæ conſiſtit in congrua membrorum proportione, & grata lineamentorum diſpoſitione, ac coloris ſuavitate, ſit fragile bonum, & inter inferiora bona computetur, eſt tamen Dei donum, quod ad Deum ducere poteſt, & ad ipſum referri debet. Et ſæpe forma corporis index eſt & ſpecimen formæ animi. Illud vero donum, quod hic in terra eſt fragile & imperfectum: in cælo ſtabile erit & perfectum. Ibi enim erunt omnia decora, pulchra fulgida, tam animæ, quam corporis; quia *corpus humilitatis noſtræ configurabit Salvator corpori claritatis ſuæ*, abſterſa omni deformitate, dataque ei quadam deiformitate. O quanta pulchritudo, quando videbunt oculi noſtri, etiam corporei, Regem in decore, Regem, inquam, illum, de quo dictum fuit: *Specie tuâ & pulchritudine intende proſpere, procede & regna*, qui & ſpecioſus forma dicitur præ filijs hominum, cuius facies fulgebit vt Sol. O quam ſpecioſa corpora ei configurata, quando & in Martyribus ipſæ cicatrices & vulnera decore miro fulgebunt, & afficient miro gaudio irruentes! O quanta pulchritudo Reginæ cælorum & Virginum, Regem ſequentium & Agnum in ſtolis candidis & decoris, hoc eſt, in gloria corporis! An non ibi omnia ſpecioſa, quandoquidem ipſa civitas dicitur aurum mundum inſtar vitri pellucidum, portæ & muri ex lapidibus pretioſis? Ideo inclamat Rex & Propheta: *Domine dilexi decorem domus tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ.*

*Eſt tamẽ Dei donũ & ſæpe index animi.*

Coactus etiam quandoque fuiſſe legitur dæmon hanc agnoſcere quam deſeruit pulchritudinem cæleſtem. Nam refert Tho. Cantiprat. ſe exorcizaſſe mulierem obſeſſam à dæmone, & inter cætera interrogaſſe eundẽ. *Eſtne illa tam pulchra Patria cæleſtis quam perdidiſti?* Reſpondit autem: *In infinitum pulchrior quàm dicatur.* Subiecit Epiſcopus ille: *Velles ne redire ad illam ſi poſſes?* Cui ipſe: *Vellem*, inquit, *vt poſſem, etſi me vſque in diem iudicii omnia excogitata ſupplicia pati oporteret.*

*lib. 2. Apũ cap. 57. §. 67*

Sed vt ad Mariam noſter propiùs recurrat ſermo, de qua hic canitur, *Gaude Virgo glorioſa ſuper omnes ſpecioſa*, dicimus quòd cum ſpecies & venuſtas Dei donum ſit, ei à Deo non fuiſſe denegatũ, quandoquidem illum parere debebat, qui eſt *ſpecioſus formâ præ filiis hominum*, quia in hoc filio debuit conformari. *Itaque* ſuper omnes ſpecioſa dicitur triplici pulchritudine.

*Pſal. 44. B. Virgo ſpecioſa eſt triplici pulchritudine.*

Primò, ob pulchritudinem naturæ, quia membrorum integritatem & proportionem, aptiſſimamque figuram, & coloris ſuavitatem Virgo nacta eſt, vt teſtantur ſancti Patres, & paſſim Eccleſiaſtici Scriptores. Vnde de vtraque pulchritudine tam ſpirituali quam corporali intelligunt illud: *Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te.* Quod quidẽ videtur particulariùs inſinuare illud in eodem capit. *Quàm pulchra es amica mea, quàm pulchra es?* Bis pulchram dicit, corpore ſcilicet pulchram, pulchram & animo, Et maculam dicit non fuiſſe in ea, quia nec in anima, nec in corpore;

*Ob pulchritudinem naturæ.* *Cant. 4.*

Dion. Chartuſi extaticus Doctor dictus, ſic hac de re diſſerit. *A planta pedis vſque ad verticem nil penitùs fuit in Virgine, neque in corpore, neque in anima indecorum, indecens, reprehenſibile; immò totum fuit ſapientiæ circino formatum, pulcherrimè circumciſum ab omni ſuperfluitate, pientiſſimè ac ſpecioſiſſimè operatum*: Rationem ipſe hanc ſubijcit, conſideratione dignam. Nempe *ſicut Chriſti humanitatem propter eius perſonalem cũ Deo vnionem, decuit omni perfectione naturæ & gratiæ in termino excellentiæ præfulgere: Ita ipſius Dei Genitricis perſonã poſt vnigeniti Filii ſui humanitatem oportebat in omnibus ſic ornari. Quoniam poſt hypoſtaticam cum Deo coniunctionem, non eſt alia tam vicina vt vnio Matris Dei cum Deo Filio ſuo.* Hanc ipſe rationem deſumpſit ex Alberto Magno, cuius etiam verba recitat cap. 34. de Laud. Virg. adiungens & auctoritatem Henrici de Caſſia in eundem ſenſum.

*lib. 1. de Laud. Virg. 35.*

Rich. de S. Victore etiam diſertè dicit, quod ſicut Maria habuit Angelicam puritatem, ita vultum quoque Angelicum demonſtravit. Nempe interna mentis pulchritudo ſe in corpus transfundebat, quo fiebat vt divina eius puritas & ſanctitas luminoſa in facie radiaret.

*Cap. 16. in Cant.*

Tradunt nonnulli S. Dionyſium à S. Paulo converſum miſſum fuiſſe ad B. Virg. eaque viſa, tan-

tam

ta ſuavitate, tanta admiratione fuiſſe perfuſum, vt pluſquam mortalem exiſtimaſſet, & adoraſſet divino quodam honore, niſi aliter à Sancto Paulo de ea eruditus fuiſſet. Tanta nimirum erat in eius vultu dignitas, ſplendor, maieſtas. De ea re circũfertur Epiſtola, in qua hoc ipſum teſtatur S. Dionyſius ſcribens ad S. Paulum, quam recitat Chriſtoph. à Caſtro Cor. à Lapide. Inter cætera ibi dicit Dionyſius: *Ductus fui ad deiformem præſentiam altiſſimæ Virginis, & tam me immenſus divinus ſplendor circumfulſit exteriùs, & pleniùs irradiavit interiùs, tanta etiam in me omnium odoramentorum ſuperabundavit fragrantia, vt nec corpus infelix, neque ſpiritus poſſet totius ac tantæ æternæ felicitatis inſignia ſuſtinere. Defecit cor meum, defecit & ſpiritus tanta gloriâ maieſtatis oppreſſus. Teſtor qui aderat in Virgine Deum, ſi tua divina concepta mente non me docuiſſent, hanc ego veram Deam eſſe credidiſſem. Quoniam nulla videri maior eſſe poſſet gloria Beatorum, quàm felicitas illa, quam ego infelix nunc, tunc autem feliciſſimus deguſtavi.* Quicquid ſit de hac Epiſtola, an S. Dionyſij ſit (quod preſſiùs peritis examinandum relinquimus) illud certum primos Chriſtianos continuo flagraſſe deſiderio viden. di Virginem illam, quæ ſalutis noſtræ Auctorem ſanctiſſimis geſtarat viſceribus, atque multos ex eius aſpectu & alloquio plurimum ſolatii & oblectamenti, plurimum gratiæ & confirmationis in fide percepiſſe, de qua re etiam facit mentionem S. Ignatius Epiſt. ad S. Ioan. Evang. Atque ipſemet Dion. teſtatur ſe Ieroſolymam veniſſe cum multis ex ſanctis Fratribus, *ad contuendum corpus illud quod Auctorem vitæ, Deumque in ſe ſuſceperat.*

*Teſtimonium S. Dionyſii de pulchritudine externa B. Virginis hiſt. Deip. c. 19. Lapide in 31. prover. ver. 30.*

*Ignat. lib. de divinis nom. c 3.*

Certè ad deſignandam maieſtuoſam pulchritudinem & dignam ſpeciem Mariæ Matris & Virginis, exiſtimo quandoque contigiſſe, vt nollet Deus, eius faciem humana depingi arte, ſed manu Angelica, vel cæleſti.

Sic Florentiæ in Italia colitur Imago Beatæ Virginis Annunciatæ, multiſque fulget miraculis Creditur autem ab Angelo delineata eſſe & expreſſa. Nam cùm pictor corpus Virginis ſuo expreſſiſſet penicillo, ac diu hæreret cogitabundus, quam faciem tanta dignam Virgine depingeret: immo pietatis & reverentiæ affectu erga talem Matrem impulſus, rem Deo commendaret: divinitùs nocte inſequente facies adpicta fuit venerabilis & ſpecioſa. Idque nonniſi Angelico factum miniſterio, & communis traditio, & miracula confirmant.

*Facies B. V. ab Angelo depicta.*

In Hiſtoria quoque Deiparæ Montiſſerrati iſtud narratur, quod ſubijcio. *Cum accerſitus ab Abbate loci egregius pictor, vt Deiparæ Imaginem miraculoſam repararet, vtpotè certis locis reparatione indigentem vix ei penicillum admovit, cùm illicò cæcus factus eſt; & tres menſes cæcus permanſit, non obſtantibus continuis pro eo ad Virginem fuſis precibus. Tandem poſt tres menſes, cùm religioſi ibidem canerent Hymnum, Ave maris ſtella, & pertigiſſent ad illum verſum; Profer lumen cæcis, repentè viſus facultatem recuperavit.* Quid dicemus hîc, niſi quod Deipara humano artificio pulchrior in ſua Imagine effici noluerit; aut quòd humana aliqua præſumptione ille peccarit: Audi aliud

*Hiſtoria de pulchritudine eiuſdem Virginis 1.*

Frater Ioannes Freſolanus Dominicanus, inter primos ſui ſæculi pictores æſtimatus fuit. Hic verò pro more habuit, vt numquam Crucifixi aut Deiparæ Imaginem pingeret, *quin in genua proſtratus Deum precaretur, vt penicillum regeret, quo ad Dei gloriam maiorem opus perficeret. Qua oratione id à Deo impetravit, vt omnes eius picturæ ſenſum pietatis ingenerarent animis intuentium. Inter cæteras Imagines Deiparæ eminet vna. Annunciationis myſterium repræſentans. Quam cùm vidit Bonaretta ſua ætatis Princeps pictor, aſſeruit eius auctori in ea pingenda oſtenſam faciem Divæ Virginis in eo ſplendore quo nunc radiat in cælo. Tanta ſcilicet erat divini illius vultus pulchritudo.*

*2. Kalend. 3. Virg. Feb. 18.*

His omnibus eluceſcere poteſt, Virginis pulchritudinem in hac via raram fuiſſe, ac nobis debere eſſe charam; cuius Imagines nonnunqnam è cælo ad nos devatæ ſunt cæleſti manu delineatæ, vt eam in terris toleremus in effigie ſua, quam Angeli in cælo, & Beati venerantur in propria ſpecie, & cum ipſis caneremus: *Gaude Virgo glorioſa, ſuper omnes ſpecioſa.*

Sic in Laudunẽſi ditione in Gallia celebre eſt tẽplum noſtræ Dominæ de Lætitia à Regibus honoratum, & donis regijs adornatũ. Ibi viſitur Imago Deiparæ ab ipſamet è cælo delata, & donata. Sic cõpendio refert ibi Hiſtoria. *Cùm ſub annũ 1134 tres equites S. Ioannis Ieroſolymitani, nobiles, Laudunenſes, in Ægyptum appuliſſent captivi, in horrendũ carcerem Cairi à Sultano concluſi ſunt, atque ibi variè tentati ſunt, vt Fidem Chriſtianam abnegarent. Verùm in fide firmi effecti, ob pietatem in Deiparã ab illa multo lumine decora, & cæleſtium Angelorũ multitudine ſtipata inviſuntur, & tandem è carcere educuntur, cooperante quadam fœminá nobili, quam inſtituerant in carcere ad Fidem Chriſtianam, & ad pietatem erga Mariã Deiparã. Virgo autem pro ſymbolo protectionis dedit eis Imaginem ſuam exſculptã. Virtute illius, mirabili miraculo & auxilio, in patriã reducti ſunt, aut potiùs trãslati vna nocte poſt iter aliquot horarum comitante dicta nobili muliere, quæ baptizata nomen Mariæ accepit, & ſanctiſſimè vixit; antea autem Iſmeria nominabatur. Exinde ab his Nobilibus in fundo proprio ædificata fuit Eccleſia, in qua & ſupradicta Imago repoſita eſt cum ſolemnitate ab Epiſcopo Laudunenſi, vbi & plurimis miraculis claruit, & Domina Noſtra de lætitia dicta fuit, ob ſingularem lætitiam exortã, tũ in his captivis ob liberationem tum in eorum propinquis ob congratulatione, tum in Epiſcopo & Fidelibus ibidem populis, ob Iſmeriæ baptiſmum celebrem, tum denique in omnibus ob inſignem pietatem in Mariam Virginem Dei Matrem, omnis lætitiæ noſtræ cauſam.*

*S. Lucas primus effigiem Deiparæ depinxit.*

Primus qui effigiem Deiparæ in Orbe depinxit, & colendam propoſuit, fuit S. Lucas artis picto-

riæ gnarus. Hic familiaris fuit Virgini, & ab ea creditur didiciſſe myſteria infantiæ Chriſti, quæ ſpecialiſſimè præ cæteris Evangeliſtis enunciavit. Voluit autem ipſe per Imaginem verſari cum ea quam deſiderabat, quod ferventiſſimi amoris eſt ſignum, inquit Metaphraſtes. Eam porrò exhibuit, prout erat, gravi, decorâ, venerabilis, & auguſtâ pulchritudine. Nec vnam tantum expreſſit ad vivum Imaginem, ſed varias, quæ diverſis in locis venerationem habent. Quas qui intuetur cum pietate, verè poteſt dicere: *Gaude Virgo glorioſa, ſuper omnes ſpecioſa*, Roma plures poſſidet. Nam in Sancta Maria Maiore viſitur illa quæ per vrbem à Sancto Gregorio in Proceſſione circumlata ſedavit peſtem, Angelis cantantibus, *Regina Cæli lætare alleluya*, Aliæ viſuntur in S. Maria de Ara cæli, in S. Maria ad campum Martium, in S. Maria in via lata. Eſt & altera Neapoli in Templo S. Mariæ Maioris. Denique, vt de noſtro Belgio aliquid dicamus, eſt & vna quæ piè creditur Sancti Lucæ penicillo expreſſa Cameraci in templo Archiepiſcopali, quæ auguſtam habet faciem, & pictoribus inimitabilem, vt multi peritiſſimi pictores faſſi ſunt, eam propiùs contuentes. Ibi autem colitur cum pietate & magno populi concurſu ſingulis Sabbatis, & vocant *Noſtram Dominam de Gratia*. Poſſunt ergo & Cameracenſes Canonici, & incolæ loci, meritò & illud canere: *Gaude Virgo glorioſa ſuper omnes ſpecioſa*.

*Pulchritudo Virginis neminem ad illicitos motus provocavit.*

Illud pro concluſione hic non eſt omittendum quòd licet Maria corpore pulcherrima fuerit, tale tamen donum à Deo accepit, vt nemo eam concupiſceret; quin potius eius faciei adſpectus illicitos motus in alijs extingueret. Erant eius oculi velut duæ faces amoris caſti & lucidi, concupiſcentiæ caliginem in aſpicientibus fugantes. Propterea dicitur *Quaſi Myrrha electa*, non ſolum ob ſuavitatem odoris quem ſpirabat, ſed etiam quia ſicut Myrrha à corruptione præſervat; ita Maria caſtitatis odore intuentium corda à libidine eximebat. Hæc eius prærogativa ſingularis; nam aliæ Virgines à ſe concupiſcentiam potuerunt pellere, ab aliorum corde & oculis non potuêre. Sic fœdi homines exarſerunt in Agnetem, Luciam, Agatham, in Mariam nemo. Quare illud ei convenit: *Sicut Lilium inter ſpinas, ſic amica mea inter filias*. Quaſi diceremus: Hæc eſt differentia inter Mariam, & alias Virgines, quòd illæ ſuâ pulchritudine, quaſi ſpinæ poterant pungere intuentium corda: Maria quaſi Lilium ſine ſpinis, neminem ſuo læſit decore. Ergo & in hoc, & propter hoc, hic ei Titulus debetur, SUPER OMNES SPECIOSA.

## DE PVLCHRITVDINE VIRGINIS SPIRITVALI.

Sec. VI.

DE pulchritudine ſpirituali præcipuè illud intelligendum venit, quod de Virgine canitur *Super omnes ſpecioſa*. Quocirca de illa maximè verū eſt illud: *Multæ filiæ congregaverūt divitias, tu ſupergreſſa es univerſas*. Filiæ huius mundi ad decorē congregant ſibi multa ornamenta pretioſa & ſpecioſa; & in his earum conſiſtunt divitiæ, ibi theſaurus in quo animum & cor figunt. Et quia multiplicia admodum ſunt hæc ornamenta, *Mundus muliebris* vocantur. Ad hunc effectum congregāt, & in arcis ſuis recludunt ſollicitè torques & monilia aurea, armillas & mitras, diſcriminalia & periſcelides, murenulas & inaures, annulos & gemmas in fronte pendentes, acus & ſpecula, mutatoria & pallia, ſyndones & vittas, & theriſtra. Vndè Iudith nonnulla ex illis aſſumptis ad caſtra Holofernis procedens. *Prov. 3[1]* *Iſaias cap. 3. Iudit. cap. 1[0]*

At Filiæ Dei congregant ſpiritualia decoramenta multivaria, pro animæ decore & ſpecie. Habentque ipſæ ſua monilia, & torques, & inaures, & armillas, & periſcelides & faſcias pectorales, & dextraliola, & ſandalia, & lunulas & ſpecula, & pallia, & theriſtras, & annulos, & gemmas, & vittas, & mitras, & corollas. Hæc enim ſunt varia dona gratiarum, quibus ſe adornant, vt Deo placeant & ſponſo; quæ & ſollicitè coacervant, & pretioſè conſervant, vt apud ſe ſemper habeant Mundum cæleſtem, non Mundum muliebrem. De his divitijs ſpiritualibus rectè intellexeris illud: *Multæ filiæ congregauerunt diuitias, tu ſupergreſſa es vniverſas*. *Prov. 3[1]* *Pulchritudo ſpiritualis in quo conſi[ſtit]*

Pulchra fuit filia, & admodum opulenta his monilibus pretioſis S. Agnes, quæ de ſponſo ſuo dicebat: *Dexteram meam & collum meum cinxit lapidibus pretioſis, tradidit auribus meis inæſtimabiles margaritas. Induit me cyclade auro textâ, & immenſis monilibus ornauit me, circumdedit me vernantibus gemmis, annulo ſuo ſubarrhavit me, & quaſi Sponſam decoravit me corona*. Quid amplius dicere poſſet? Quid eâ ſic ornatâ pulchrius & ſplēdidius? Quid opulentius? Sed tu eam tuo ſplendore & ſpecie ſuperas, o Virgo glorioſa! *B. Virg. omnes ſuperat*

Idem dicere poterant Cæcilia, Catharina, Lucia, Agatha, quod Agnes, & multæ aliæ filiæ pulcherrimæ & ornatiſſimæ, quæ ſibi congregaverunt divitias omnigenas virtutum & gratiarum, quibus Sponſo cæleſti placerent. Nos verò adijcimus, ô MARIA Tu ſupergreſſa es vniverſas. Denique, idem dicere potuerunt multæ filiæ Regum, quæ regnum mundi, & omnem ornatum ſæculi contēpſerunt propter ornamenta cæli, & propter amorem Domini noſtri Ieſu Chriſti, attendentes illud Apoſtoli Petri: *Non ſit extrinſecus capillatura aut circumdatio auri aut indumenti veſtimentorum* *1. Pet. 3*

cultus;

*cultus ſed quia abſconditus eſt cordis homo in incorruptibilitate quieti & modeſti ſpiritus, qui eſt in conſpectu Dei locuples.* Tales fuere Cunegundis Imperatrix, Elizabetha Luſitana, Elizabetha Turingica, Margareta Hungarica, & innumeræ aliæ, quarum vnicuique illud convenit: *Omnis gloria Filiæ Regis ab intùs.* (Pſal. 44.) Hæ ſunt Filiæ Regum ſpeciociſſimæ, & ornatiſſimæ, & locupletiſſimæ in conſpectu Dei: Sed tu, ô Maria; ſuper omnes es ſpecioſa, tu ſupergreſſa es vniverſas. Quapropter omnes hæ *Filiæ Regum ſunt in honore tuo*; quaſi Domicellæ honoris te Dominam & Reginam ſuam circumdant & ſuſpiciunt.

De Filiabus Job teſtantur ſacræ Litteræ, quòd non ſint inventæ mulieres ſpecioſæ ſicut illæ in vniverſa terra. Vocauit autem nomen primæ DIEM, & nomen ſecundæ CASSIAM, & nomen tertiæ CORNU-STIBII, vel vt legunt 70. *Cornu copiæ*, ſive *Cornu Amalthea.* Vocaverit porro Iob primam filiam ſuam *Diem*, inquit S. Thomas, eò quòd pulchra, foret tum corpore, tum mente, inſtar ſplendidæ diei. Nomen ſecundæ *Caßiam*, quòd nobilis & gratioſa foret inſtar aromaticæ Caſſiæ. Nomen tertiæ *Cornu ſtibii*, quòd elegãtiſſimo eſſet vultu, quaſi tota ſtibio depicta, quo facies & oculi inungi ſolent. Vel, vt alij dicunt, illa nomina indidit in memoriam vtriuſq; ſuæ fortunæ, aduerſæ & proſperæ; quia iam ex tenebris miſeriarum ope Dei rediſſet ad felicitatis diem, & ex fœtore & pudore ad fragrantiam, ex ſordibus ad nitorem, ex indigentia ad copiam. Tu pulchrior es Filiabus Iob, ô Maria, æterni Patris Filia! & merito te *Diem* appellaverimus, quæ pulchra es, non ſolùm vt aurora conſurgens, aut vt Luna rutilans, ſed etiam vt Sol irradians. Per te è tenebris ad diem & lucem felicitatis emergimus, tu Dies & Lux noſtra. (Pſal. 44.) Meritò etiam te *Caſſiam* appellaverimus, quæ adeò es gratioſa, & odorata: *Myrrha, & gutta, & caſia à veſtimentis tuis, ex quibus te delectaverunt filiæ Regum in honore tuo.* Per te à fœtore peccati ad fragrantiam gratiæ cæleſtis reducti ſumus, tuoque odore cælum & terram perfudiſti, & Filium ab æterni Patris accubitu ad tuum ſinum attraxiſti. Denique te meritò *Cornu ſtibii, & Cornu copiæ* appellaverimus, quia tu pulchritudo noſtra, & opulentia es; tu Iovis Nutrix es, hoc eſt Dei noſtri; per te omnia haurimus bona, An non igitur iure tibi congratulamur & nobis inclamantes: (Prov. 31.) *Gaude Virgo glorioſa, ſuper omnes ſpecioſa?* illudq; adiicimus: *Multæ Filiæ congregaverunt divitias, tu ſupergreſſa es vniverſas.*

*Laus pulchritudinis Virginis.*

Propter hanc pulchritudinem ſpiritualem Mariæ, Sponſus in Canticis Sponſæ ſpeciem deſcribit & laudat per ſingula membra; vt per hæc proportione quadam intelligatur ſpecies eius interna, quæ in virtutibus conſiſtit. Audi Rupertum in illud Cant. 4. *Quàm pulchra es amica mea, oculi tui Columbarum.* Sic enim exclamat: O admirabilis pulchritudo, quam ſic admiratur & collaudat pulcherrimus Auctor pulchritudinis ſeptem præconiis. *Conſiderauit oculos, capillos dentes labia genas, collum, ubera, & pro ſingulis dilectis ſingula decantauit digna collaudationis capitula Laudatur in oculis ſimplicitas, in capillis cogitationum tuarum munditia, in dentibus innocentia; in labiis doctrina, in genis verecundia, in collo humilitas, in uberibus tuis admiranda cum fœcunditate virginitas.*

*Per omnia membra.*

Poſſumus & nos laudare Virginem ſecundùm membra ſingula à pulchritudine, eam tamen laudem & pulchritudinem referendo ad illam quâ intùs fulget & radiat; quæ & agnita fuit in myſteriis eam concernentibus, dum ageret in vita hac mortali. A capite vſque ad calcem laudabilis eſt, & admirabilis, & amabilis, in myſterio Annunciationis. Quam ſpecioſi & gratioſi eius pedes, qui ſe in ſecreto conclavi continent, fugientes tumultum & diſtractiones ſæculi, dum interim pedes animi perambulant aulã cæli in calceamentis hiacynthinis & ceruleis! (Cant. 7.) Dicamus hic: *Quàm pulchri ſunt greſſus tui in calceamentis, ô Filia Principis!* Quàm ſpecioſa coram Deo & cælitibus eius genua ſacra, quæ flectit cũ humilitatis & cordis genibus, dum dicit: (Luc. 1.) *Ecce ancilla Domini?* Quàm ſpecioſus vterus qui potuit tunc cum certitudine aſſerere ſe virum nec agnoviſſe, nec agnoſcere, nec agnituram eſſe, ſolâ vel cogitatione, vel titillatione, ob firmum virginitatis perpetuæ propoſitũ & votum! Quàm ſpecioſæ eius manus & brachia in cælum protenſa, vt oratione Deum in terras attraheret, miſeriis noſtris compaſſurum, & virgineæ eius puritati nihil detracturum! Quàm ſimplices oculi eius columbini cælum reſpicientes, & nihilominùs cautè circumſpiciẽtes, ne qua fraus mandatis cæleſtibus pararetur, & inquirentes: (Luc. 1.) *Quomodò fiet iſtud?* Quàm ſpecioſa frons verecundiæ rubo reperfuſa, dum turbatur in ſalutatione & laudibus ſuis! Quàm ſpecioſi cincinni & capilli cogitationum eius, quæ nil niſi ſanctum ſpirant, volventes & revolventes qualis eſſet iſta ſalutatio, qualia & myſteria quæ cælitùs hic proponebantur! Denique, quàm ſpecioſum eſt caput & collum, quod ſe inclinant ad fidem & obedientiam, pronuncians, *Fiat mihi ſecundum verbum tuum.* Hæc eſt eius ſpecies & venuſtas gratioſa, qua Dei Filium in ſuum attraxit vterum, propter quam etiam de ea in Canticis dicitur. (Cant. 5.) *Qualis eſt dilectus tuus ex dilecto, ô pulcherrima mulierum!*

Ipſe qui eam in Matrem elegit, pulcherrimam efficere potuit, & talem eligendo & diligendo effecit Xeuxis, pictor ille celebris, Iunonis effigiẽ picturus, templo eius dicandam, dicitur Virgines quinque pulcherrimas elegiſſe, & ſibi ob oculos poſuiſſe, vt quicquid in illis laudatiſſimum erat, id imagini insereret, Ita refert Plinius, & alii Hiſtorici. Dicamus nos, quòd Deus factor, fictor, pictor noſter, effigiem electiſſimæ & dilectiſſimæ Virginis voluit Templo ſuo & Filij ſui dicare Spiritus Sancti penicillo delineatam. Quid igitur fecit?

cit? Non ſolum quinque Virgines, ſed omnes omnino ſanctas animas, quæ fuerunt, ſunt, & erunt, aut eſſe poſſunt, oculis ſuæ ſapientiæ propoſuit, & quicquid in ſingulis excellere poterat virtutis & pulchritudinis, in Virginem hanc à ſe electam cõtulit, ita vt nihil opus iſtud ſuperexcellat niſi ipſe Opifex: Propterea ei rurſum repetimus: *Salve Virgo glorioſa, ſuper omnes ſpecioſa.*

Hæc eſt pulchritudo, quæ multas in ſui amorem pellexit animas pias, & ad imitationem accendit Vnde S. Ambroſius ſic Virgines alloquitur *Sit vobis tamquam in imagine deſcripta virginitas vitaque Beatæ Mariæ, de qua velut ſpeculo reſulget & ſpecies caſtitatis, & forma virtutis. Talis fuit Maria, vt eius vnius vita omnium ſit diſciplina: quicunque eius ſibi exoptat præmium, imitetur exemplum O quantis illa Virginibus occurret, quantas complexa ad Dominum trahet!* Certe Virgines in cælo delectantur eius ſpecie & ſocietate. Ipſaque dum in terris apparet, fere ſolent nonnullis illuſtrioribus Virginibus quaſi Pediſſequis honorarij, eſſe comitata, ſed & tunc elucet & ipſa ſuper omnes ſpecioſa. Sic S. Dominicum frequenter viſitavit cum Cæcilia & Catharina collateralibus ſuis. Sic etiam ſæpe adfuit S. Martino cum Agnete & Thecla. Sic S. Opportunam viſitavit in lecto ægretudinis cum Lucia & Cæcilia: ita vt optime eas cognoſcens diceret: Avete Sorores, quid imperat mihi Regina? Sic ſanctum Stanislaum Koſca viſitavit cum S. Barbara. Sic & ſanctam Claram viſitavit cum Virginum clariſſima turba; ſed ipſa erat eminens ſpecie inter omnes, regioque diademate redimita, quo agnoſceretur eius excellentia.

Ambroſ. de inſtit. Virg.

---

## SEC. VII DE PVLCHRITVDINE B. VIRGINIS IN GLORIA.

### VALE, O VALDE DECORA PRO NOBIS CHRISTUM EXORA.

Gloria reſpondet gratiæ.

SIcut Maria omnes electos excellit pulchritudine gratiæ, ita abſq; dubio eos præcellit pulchritudine gloriæ, quia gloria gratiæ correſpondet. Sicut ergo decuit vt tali puritate niteret, qua maior ſub Deo nequit intelligi, quia Deum conceptura erat: ſic decet vt glorâ emineat, quâ maior ſub Deo nequit intelligi. Mons eſt in vertice montiũ Beatiſſima Virgo, inquit S. Gregorius. *quæ omnem electæ creaturæ altitudinem electionis ſuæ ſublimitate tranſcendit* Mons electiſſimus & ſpecioſiſſimus, omni intelligibili venuſtate polymitus & ornatiſſimus: *Gloria Libani data eſt ei, & decor Carmeli; in ea videbitur gloria & decor Dei noſtri.* Radij decoris & gloriæ eius totam illuſtrant & lætificant civitatem Dei Quapropter Eccleſia Leodienſis ſic de ea canit voce & laudatione decora:

Iſaia 35.

*O quàm glorifica luce coruſcas,*
*Stirpis Davidicæ regia proles;*
*Sublimis reſidens Virgo Maria,*
*Supra Caligenas ætheris omnes.*

Certe accidentalis gloria electorum perficietur in viſione Mariæ Deificæ, quæ filium Dei peperit eſſentialis beatitudinis objectum vivificum. Vnde & Sancti nonnulli in terris, cælitus ſpecialiter edocti ſunt ad illius viſionem adſpirare.

De B. Arnulpho, Ord. Ciſter. legimus frequenter ei apparuiſſe Deiparam, & ita familiarem ſe illi exhibuiſſe, vt quoties ille negotium aliquod haberet, toties pijſſima Virgo illud ad filium ſuum deferret, donec tandem illi expectanti, & vt ita dicam, ore cordis hianti à Filio ſuo gratiæ cœleſtis buccellam pariter cum effectu petitionis eius impetrans reportaret. Cum autem quadam die Vir Dei orans cuperet ardenter Sanctorum Choris intereſſe, apparuit ei Chriſtus, & apertis cœlis oſtendit omnes Sanctos Choros Patriarcharũ, Prophetarum, Apoſtolorum, Martyrum, Confeſſorum, Virginum, Angelorum. Tum Chriſtus ad illum: Sufficiuntne tibi hæc omnia? Illo autem negante hæc ſufficere, oſtendit ei Genitricem ſuam ſupra omnes exaltatam, inenarrabili decore & gloria pleniſſimam, in cuius viſione miram ſenſit oblectationem & ſuavitatem. Ita auctor Kalendarij Virginis ex Franciſco Moſcho, vitæ eius Scriptore.

Magnitudo gloria Virgi[nis] oſten[sa] B. A[r]nulpho.

De Beato Henrico Calſtus Ordinis S. Dominici etiam legimus, quòd cùm die quodam ſtudij vel orationis cauſâ lumen haberet, illud extinctũ eſt; & mox circumfulſit eum lux magna, è qua quædã muliebris vox prodire videbatur. Qui ſtupefactus ait: Deus meus, quid audio, quæ eſt vox iſta? Ego ſum, inquit, Maria Mater Chriſti. Cui ille: *O Domina, oſtende mihi faciem tuam gratioſam, ad quam tam frequenter adſpiro: Vox enim tua dulcis, & facies tua decora.* Verumtamen non aliud à Virgine reſponsũ tunc accepit: *Adhuc puer es, creſce, & videbis me.* Ita refert Hyacinthus Choquetus D. The.

Poterat ergo hic dicere, quandoquidẽ necdum tempus advenit, quo te intueri valeam in decore & ſpecie tua, vale interim, ô valde decora, in decore tuo perenna & regna, & pro me Filium exora, vt illum & te videam tandem in ſæculorum ſæcula.

Nec hic quoq; prætereundũ, quod certâ relatione accidiſſe refert Thomas Cantiprato apud Turinum civitatem, in domo quadam Fratrum Prædicatorũ *Ibi agebant Fratres ſub egregiæ ſanctitatis Priore erga B V. devotiſſimi in orationibus ſuis, & ſæpe fuſis lachrymis divina vacabant contẽplationi. Accidit vt unus ex illis, alijs ad quietem vel ſtudium ſecedentibus, nocte dieq; in oratione permaneret; vnde meruit à Virgine, cui devotiſſimus, ſingulare ſolatium obtinere, Contigit namq; eo ſolo in Eccleſia remanente altaris circuitum luce iucundiſſima circumfundi, & ei ſuper altare glorioſiſſimã Virginem cum Filio inauditis vultuum & formarum ſchematibus apparere Sed per quos in modum Stellarum ſeptem globi ignei radiabant. Hæc vt vidit, timuit eſſe phantaſma, quamvis*

Lib. A[...]

in

*in ſignum veræ viſionis ſolutio mirabili & intellectuali lumine repleretur. Dixit ergo cũ magna reuerentia cordis, & cum lachrymis: O glorioſiſſima Mater & Domina, non ſum dignus videre ſolus quæ video. Rogo ſupplex, ſi vere es Mater Chriſti, appareas Priori noſtro, & toti Conventui, ſervis tuis dilectiſſimis. Hoc vt dixit, annuit Mater pietatis, & apparuit toti Conuentui in eadem forma, Attende Lector. miraculum cunctis ſæculis inauditum. Referebant Fratres, quòd illa viſio imaginaria quidẽ fuit, ſed ex certis groſſis & circumſcriptibilibus lineamentis non conſtabat. Vt autẽ comparitione aliqua nos atamur; Corpus illud apparens diaphanũ videbatur, & tamen tã propriũ tamq; excellenter egregiã formã oculis intuentiũ ingerebat, vt nihil iucundius videri poſſe à mortalibus crederetur. Hoc videntes Fratres ſolitò crebrius precibus & fletibus inſiſtebant orantes benigniſſimam Matrem, vt ſecundò & tertiò in honorem Sãctiſſimæ Trinitatis appareret, ne forte foret diabolica illuſio. Quia ergo nulla Chriſti conventio, vel Matris eius, ad Belial, tertiò in eadem forma totiſe Conventui Virgo glorioſa demonſtrauit.* Facta ſunt hæc in principio Ordinis Prædicatorum, vt tam ſpeciali miraculo Regina miſericordiæ ſibi deditum Ordinem comprobaret.

Ex quibus omnibus ſatis eluceſcit, quàm meritò B. Virgini iſte titulus competat, *Virgo glorioſa, inter omnes ſpecioſa*; & quàm convenienter ei dicamus; *Vale, ô valde decora & pro nobis ſemper Chriſtũ exora.* VALE apud veteres erat ſalutatio veſpertina, ſicut & AVE erat ſalutatio veſpertina: Nos autem Mariam ſalutamus per Antiphonas & Cantica tam matutinis horis, quàm veſpertinis, immò & diurnis: ideo hic repetitur, *Ave, Salve, Gaude, Vale* Quaſi diceremus cũ Propheta, *Veſpere & mane & meridie* annunciabimus laudem tuam, & Filij tui, ô Maria! & congaudebimus, quòd tibi cum illo perẽnis ſit ſalus, honor, virtus, gloria, valor, & fortitudo; tu interim illum pro nobis exora, vt exaudiat vocem noſtram, & ſublevet tecum noſtrã miſeriam, Sic compendio iterũ pro me repeto: Salve, ô Maria, inclyta Regũ progenies, Sacerdotum decus, Patriarcharum gloria, Cælitũ triumphus, Angelorum Domina, Cœlorum Regina, Formido inferorum, Chriſtianorum ſpes & ſolatium. Divinitati proxima es, ne illic nobis deeſſes. Certa eſt fiducia tua, pronus tuis advolvor pedibus, ſerva animulam hanc, quæ ſe tibi quanta eſt, nuncupat.

*Gloria Virginis ſuperat gloriam omnium hominũ & Angelorum.*

Sed quoniam de Virginis gloria hic mentio eſt, adverte quod multorum Theologorum ſententia aſſerat, Virginem non ſolùm ſingulos homines & ſingulos Angelos, in quocunque Ordine & Choro ſint conſtituti, gloriâ excellere; ſed etiam omnes homines & omnes Angelos ſimul ſumptos; ita vt beatior ſit omnibus electis ſimul coadunatis, & maiore digna honore. Quapropter Eccleſia illam colit cultu ſpeciali poſt Deum, quem cultum vocat *Hyperduliæ* cultum; qui eſt ſummus poſt illum quem Deo debemus qui *Latria* appellatur. Sanctos autem cæteros & Angelos & Homines etiam ſimul in conſideratione noſtra iunctos nunnisi *Duliâ* colit, qui eſt cultus inferior. Itaque omnes honores qui Angelis deferuntur, aut Hominibus beatis, quantumcunque increſcant & multiplicentur, numquam tamen pertingent ad hyperduliam Virgini Mariæ debitam, quia ille cultus eſt altioris Ordinis.

*Colitur cultu Hyperduliæ.*

*Competit ei dignitas hæc quia eſt Mater Dei.*

Ratio fundamentalis eſſe poteſt, quòd B. Virgo verè ſit Mater Dei, cui competit per hoc dignitas velut immenſa, longe alias omnes tranſcendens; ſicque ei & gratia, & gloria, & cultus debetur omnes alios ſupereminens. Maternitas namque Dei dignitas incomparabilis cenſetur, in quantum eſt conſanguinitas cum Deo proxima, arctiſſima, altiſſima, per quam Virgo facta eſt Ordinis quodãmodo divini, habens eundem Filium ſibi conſubſtantialem in humanitate, quem æternus Pater conſubſtantialem habet in divinitate. Eidem nãque dicere poteſt, quod Pater æternus: *Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Quæ omnia ſunt altâ conſideratione digna, vt dignitas, gratia, gloria, & honor ei debitus agnoſcatur. *Pſal. 2.*

Confirmatur & hæc ratio ex eo quòd dignitas vnionis hypoſtaticæ humanitatis cum Deo, in Chriſto incomprehenſibilis ſit, & reputetur immenſa, omnium creaturarum dignitatem & excellentiam in vnum congregatam ſuperans, dum facit hunc hominem Deum capitulantẽ in ſe, ſive quæ in cœlis, ſive quæ in terris, Huic autem vnioni incomprehenſibili, quàm intimè, quàm proximè cooperata eſt Beatiſſima Virgo, dum Filium Deũ ſuis è viſcerib corpore induit, & ſibi cõcorporatũ Orbi dedit? An aliquid hâc vnione, incarnatione, & concorperatione admirabilius? Nihil ergo & hac maternitate præſtantius. Sicque & dignitas hæc & dotes ei correſpondentes longè ſuperant omnes alias dotes, ſive Angelis, ſive hominibus datas, & à ſolâ vnione hypoſtatica Chriſto communicata ſuperatur. Ita loquuntur Theologi plerique de dignitate, gratia, gloria, honore, & cultu Virginis Deiparæ.

Non ergo dubitandum, quòd de ea iure canat Eccleſia, quòd ſit *valde decora, & ſuper omnes ſpecioſa*: quodque meritò ei ſpecialiſſime dicamus: *Et pro nobis Chriſtum exora.* Etenim ex dictis ſequitur, ad eam nos primùm debere vota dirigere poſt Chriſtum, & per eam ad Chriſtum, qui ſic eam voluit honorare, vt nihil neget, vt numquam oret ipſa, quin exoret. Quandoquidem enim eius gratia & merita, ita Angelorum omnium & hominum excedant gratiam & merita, vt ſimul coadunata hæc & in vna lance poſita, & ex altera parte Virginis ſolius merita collocata longè ſuperent, per hoc conſequitur ipſam magis Deo eſſe gratam & dilectam, quam ſint omnes Angeli & homines ſimul ſumpti. Quid vltra dicendum, & exinde inferendum, niſi quòd eius preces apud Deũ magis valeant & Chriſtum, quàm omniũ electorũ, ſive hominum, ſive Angelorum? quodque dignior

*Plus apud Deum poteſt quã homines & Angeli ſimul.*

ſit

ſit vt exaudiatur, quàm omnes hi ſimul ſumpti? Vide ergo quàm meritò ei inter omnes primò & crebrò repetimus: PRO NOBIS CHRISTUM EXORA.

*Similitudo* Declarari id etiam poteſt ſimilitudine rebus ab humanis deducta. Etenim ſi conſideremus familiam benè inſtitutam, & in ea Matrem familias qua talis eſt, quis ambigit eam in ea qualitate præferendam omnibus filijs, ſervis, & ancillis ſimul ſumptis, quandoquidem ſit Mater, caput, & princeps totius familiæ? Certè & hæc apud maritum prudentem, & in veritate vxoris dilectorem, debet impetrare de his quæ juſtè petit efficaciùs, quam vllus de familia. Itaque cum B. Virgo conſtituta ſit Mater-familias ſuper tota Eccleſia, nonne dignior cenſenda eſt, quàm alij omnes filij & fideles, etiam ſimul adunati? nònne & efficacior eſt eius oratio & petitio, quàm omnium aliorum? Impetrat vtique, & vt Filia, & vt Mater, & vt Sponſa, quod indicat illa pia oratio Templo Lauretano inſcripta, & Indulgentijs adornata, ac à multis pijs non ſine fructu frequentata:

*Ave Filia Dei Patris,*
*Ave Mater Dei Filii,*
*Ave Sponſa Spiritus Sancti,*
*Ave Templum totius Trinitatis.*

An non exaudiet Pater Filiam? An non exaudiet Filius Matrem? An non exaudiet Spiritus Sanctus Sponſam? An non de ſuo ſanctoſacrario & Templo exaudiet Trinitas ſanctiſſima orationem ad ſe emiſſam? Ergo, ô Sancta Virgo, Chriſtum pro nobis exora; immo Patrem & Spiritum ſanctum, non enim decet vt quiſquam illorum confundat faciē tuam & vniverſæ reconciliationis Sacrarium, Oraculumque propitiationis repudiet.

*Aliud simile.* Altera ſimilitudo duci poteſt ab æſtimatione morali, quæ reperiri ſolet in aulis Regum. Quis ambigat dignitatem & honorem Reginæ debitum excellere dignitatem & honorem omnibus Ducibus, Principibus; Comitibus aulæ impertiri ſolitum; quandoquidem altioris etiam cenſeatur ordinis & regiæ dignitati ſuppar? Ergo cùm Maria Regina ſit cæli & terræ, Regina omnium hominū & Angelorum, omneſque ſe ei ſubditos agnoſcant & gaudeant; nonne etiam iam ſimul ſuper ſe omnes coadunati excellentiam ipſius agnoſcere debent? Nònne ſi & ipſa pro nobis interveniat apud Regem, ſuper omnes interpretabit? Itaque rurſum hîc repetamus: *O Regina Cælorum, ô Domina Angelorum, pro nobis Chriſtum ora & exora.*

Certè non poteſt non efficaciſſima eſſe eius oratio, quandoquidem atteſtentur frequenter Sancti Patres, quód ipſa, quia Mater Dei eſt, etiam totius Eccleſiæ, & Fidelium omnium Mediatrix eſt, tamquam quæ proximè cooperata ſit Incarnationi Filij Dei, & conſecutivè redemptioni noſtræ.

*Per B. Virginem dona in homines derivantur.* An dicemus vlterius, per eam diſtribui Apoſtolis zelum, Martyribus fortitudinem, Confeſſoribus puritatem, Religioſis humilitatem & auſteritatem, Virginibus caſtitatem, Pœnitentibus compunctionem, Conjugatis fidelitatem, omnibuſque Fidelibus dona eis convenientia ſecundùm vocationem? Hoc ſanè certum aſſerit S. Bernardus, quando dicit à Deo cæleſtia quæque dona non venire in nos, niſi per manus Mariæ tranſiverint. Quòd ſi ipſa hæc poteſt diſtribuere dona per poteſtatem & interceſſionem, quà apud Deum valet, an non eminentius hæc omnia dona in ſe poſſidet & gloriam eius correſpondentem? Quòd ſi aſſerunt Theologi in Chriſto fuiſſe non ſolum gratiá ſanctificantem, multa ſecum dona cæleſtia involventem cum gratijs, quas vocant *Gratias gratis datas*; ſed & gratiam quamdam, quam vocant *Gratiam capitis* in alios refundendam, quæ etiam *Univerſalis gratia* appellari poteſt. Dicamus & hanc Matri ſuæ (quæ *Plena gratia* ab Angelo nuncupatur) communicaſſe, ita vt non ſolum ſibi ſoli gratiam acceperit, ſed & eandem in cæteros transfundendam Maria participarit; propter quam dixit S. Bernardus non ſolùm eam gratia plenam, ſed ſuperplenam & ſuperfluentem; ita tamen vt ipſa Canalis ſit, Filius eius Fons. Nònne hæc eſt quædam gratia, quæ in Maria poteſt dici *Gratia Capitis*? Nònne & illi ſpecialis gloria correſpondet? Hanc ſanè hoc in gradu, hocque titulo, omnes alij Sancti etiam ſimul iuncti haud participant. Per MARIAM igitur à CHRISTO in nos fluunt cæleſtia dona, & ideò ei frequentiſſimè & ferventiſſimè a nobis repetendum eſt: *Pro nobis Chrſtum exora.*

*B. Virgo Canalis eſt, Chriſtus Fons omnium gratiarum.*

Et hoc tamen etiam advertendum, quòd dicamus, & petamus, vt pro nobis intercedat, quæ *Mediatrix hominum* propriè dicitur: nam nec pro Angelis, nec pro eorum in ſupplicio conſortibus intercedere poteſt, quia irrevocabiliter flammis ſunt addicti. Nec Angelis qui ſteterunt, vel gratiam vel perſeverantiam Virgo impetravit; ſicut nec Chriſtus gratiam aut gloriam eis meruit, vt ſanior Theologorum cenſet opinio; ideoque propriè *Angelorum Mediatrix* dici nequit. Attamen aliqua ratione hic Titulus ei poſſet competere, ſi conſideremus vnam eſſe Eccleſiam Angelorum, & Beatorum Hominum in Cælis. Cùm ergo Chriſtus, & Beatiſſima Mater eius effecerint, vt ruinæ Angelorum cadentium reſtaurarentur per homines, & fieret Eccleſia Triumphans omnibus ſuis numeris perfecta; quis vetat hac ratione dicere, quòd Chriſtus Angelorum Mediator ſit, & Maria Mediatrix, tantùm bonum eis conciliando, Reipublicæ ſuæ ſanctæ, ſive Eccleſiæ ſuæ dilaceratæ, redintegrationem procurando? An non eis exindè gaudium? an non accidentalis acceſſit gloria? An non mirè gaudent de Apoſtolorum zelo & fructu, de Martyrum conſtantia mirifica, de Virginum caſtitate Angelica, de Sanctorum omnium meritis, triumphis, & gloria? An non per charitatis vnionem illam gloriam & præmia exiſtimant ſua? An omnes Angeli, ſimul iunati, vel mereri, vel impetrare

*Probatur eſſe mediatricem ... Angelorum.*

trare potuerunt hanc reſtaurationem? Abſit. Sed per Chriſtum id factum eſt, ſimulque, Chriſto ita volente, per Mariam; ſicque non mirum ſit, ſi dicamus eam & gratiâ & gloriâ omnes Angelorum & hominum Choros ſimul ſumptos ſuperare.

Forſitan & hoc ſignificat Sancti Ioannis viſio de duodecim Stellis radiantibus in capite Mariæ. Numerus duodecimns vniverſitatis eſt numerus ſacris in Litteris; ſic dicere valemus vniverſos Beatos, tam Angelos, quam Homines, Mariam circumcingere honoris gratiâ, & agnoſcere velut Caput ſuum poſt Chriſtum, hoc eſt, Reginam gloriæ. Vlterius in ſpeciali dicere poſſumus, per duodecim Stellas Mariam circumcingentes, intelligi novem Choros Angelorum ei honorem deferentes; ſimulque tres hominum ſtatus, quos per Noe, Daniel, & Iob, deſignari dicit Sanctus Bernardus; hoc eſt, Statum Prælatorum, Continentium, Coniugatorum. Hi omnes ſtatus hominum ſimul cum Choris Angelorum Mariam circumdant, honorant, & coronant. Sic in æternum in cœlis coronata triumphat, vbi pro nobis etiam exorat, vt ad illam coronam pertingamus, ſive ad numerum eorum qui eam debent honorare, ornare, & coronaro.

# QVADRIGA MARIANA
## TRACTATVS IV.

## DIE ELVCIDANS ANTIPHONAM MARIANÆ LAVDIS.

*Quæ canitur toto Tempore Paſchali.*

## REGINA CÆLI LÆTARE ALLELVYA.

## INTRODVCTIO.

*Autores huius Antiphonæ ſunt Angeli? Quæ eius occaſio?*

HVIVS Antiphonæ primos Cantores & Auctores fuiſſe Angelos, pernotum eſt ex Hiſtorijs Eccleſiaſticis, & Traditione Romana. Cùm enim tempore S. Gregorij Pontif. lues peſtilentiſſima & violentiſſima ſerperet in Vrbe Romana, & plebem ita depaſceret, vt quandoq; viſi ſint octoginta vel ſolùm hiſcendo interire: Hinc ad preces publicas, & lachrymis coniunctas refugium fuit; indixitq; Pontifex celebrem Proceſſionem, cui ipſe cum toto Clero & populo interfuit, in qua per vicos circũferebatur Imago Deiparæ à S. Luca depicta. Cùm ergò fervida & lachrymoſa Cleri & Populi vota in Cœlum aſcenderent, & hanc Mediatricem Patri Æterno repræſentarent, audita eſt vox iſta de Cœlo veniens modulatione Angelicâ: *Regina Cœli lætare, alleluya: Quia quẽ meruiſti portare, alleluya: Reſurrexit ſicut dixit, alleluya.* Qui cantus dũ paululum ſiſteret, adiunxit ex ſancta inſpiratione Sanctiſſimus Pontifex, cum Clero: *Ora pro nobis Deum, alleluya.* Mox verò mira claritas aëris effulſit, cum anteà Sol foret in nubilo. Viſus eſt autem Angelus in vertice Caſtri, quod ex tunc vocatum eſt CASTRVM S. ANGELI, anteà vocabatur MOLES ADRIANI, Gladium cruentum recondere, & exindè ce ſſavit peſtilentia, quæ paſſim in colloquijs, in menſis, in itinere, in ludis, in deambulatione multos ſub ci morte perimebat, ita ut ſternutando, vel oſcitando expirarent: Vndè hactenus permanſit conſuetudo dicendi, *Deus adiuvet*, cùm quis ſternutare auditur: & cùm oſcitatio ſupervenit, ſignum crucis ori ſolet imprimi; quæ quidem co aſuetudo dicitur originem ex eo duxiſſe tempore. Hæc autem peſtilentia venerat ſuper Romanos tempore Paſchali, quia multi ex illis diebus quadrageſimalibus intemperanter vixerant & incontinenter, nec ſatis dignè poſtmodum Corpori Domini communicârant. Et hæc non æquâ lance rationis & fidei penſantes, cõmeſſationibus, ludis, luxuriaque fræna laxabant. Quid dicemus hic niſi illud Pſaltis: *Iuſtus es Domine, & rectum eſt iudicium tuum.* Dum tamen ad Mariam, tanquam ad Aram clementiæ tuæ, & Mediatricem gratię recurrimus, tu reſpicis nos de Cœlo, & amoves iram vindicem. Intuens in Deiparam hanc Virginem ei congratularis & nobis, eamque lætificas & nos cum ea. Vndè per Angelos ei decantari iubes, *Regina Cœli lætare, alleluya*; & à nobis idipſum vis repeti & decantari in tuam eiusq; gloriam cum paſchali gaudio & triumpho. *Pſal. 118.*

Hanc igitur Antiphonam Paſchalem, licèt iterum à me breuiter alibi explicatam, cum ampliori elucidatione, hic repeto, & repræſento pijs mentibus, & in illa finio *Quadrigam Marianam*, quâ à filijs ſuis cum laudibus ſonoris in Cœlum evehitur, eorum voce coniuncta cum melodia Angelica & cœleſti. Tu fave, ô Maria, vt tecum decantemus Æternum Alleluya. Sicut enim Angelis præcinentibus didicimus S. Trinitatem adorare per Triſagion, *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth*, qui cantus æternùm perdurabit: ita illis præcinentibus didicimus te Cœli Reginam venerari cum lætitia, & tibi decantare *Alleluya*; quę quidem Vox lætitiæ perfectionem ſuam habebit in æterna beatitudine. Singula ergò ſacræ Antiphonæ verba liceat, Te favente, expendere, & extendere. Priſci Scriptores invocabant & ſalutabant Calliopen, Vraniam, Polymniam, Clionem, Thaliam, Euterpem, vt feliciter ſua Poëmata auſpicarentur: Tu mea es Calliope, Vrania mea, Polymnia & Clio mea: *Exurge gloria mea, exurge Pſalterium & Cythara*: A te principium huius ſcriptionis, in te deſinet, ô MARIA?

## REGINA CÆLI LÆTARE. SECT. I.

*Olim Gentiles ſolẽ & lunã vt numina adorarunt.*

NOtum eſt ex ſacris litteris, Gentiles, & quoſdam Iudæos, horum imitatores & aſſeclas, Solem Lunamque adoraſſe, vt Numina: illum tamquam Cœli Regem & Præſidem, hanc tam

quam Cœli Reginam, & Solis Sororem.

De Sole id conſtat ex 4. Reg. 23. vbi dicitur de Ioſia Rege: *Abſtulit equos, quos dederant Reges Iuda Soli in introitu Templi Domini, currus autem Solis combuſſit igni.* Nonnulli Interpretes hic dicunt, Gentiles ſolitos alere certos equos publico ſumptu, quos dedicabant Soli: quibus cum Quadriga veherentur illi, qui quotidiè deſignabantur, vt ad montem certum procederent, Solem orientem adoraturi & ſalutaturi. Hos ergò equos abſtulit Ioſias, & hos currus Solis combuſſit, quos imitatione Gentilium Reges Iudæ Soli dicarant; ſicque hanc idololatriam abolevit Rex pius. Fuiſſe autem hos vivos equos, & non ſolùm pictos aut ſculptos, cum curru ante Solis ſtatuam ſuſpenſos, vt aliqui dixerunt, ex eo conſtat, quòd Ioſias eos dicitur abſtuliſſe, non combuſſiſſe; Currum verò Solis combuſſiſſe, non abſtuliſſe: ſi enim equi ſculpti aut picti fuiſſent in ligno, aut ære, aut alia materia, eos cum curru combuſſiſſet.

*Chriſtus Sol noſter.*

Nos porrò Chriſtiani Solem noſtrum Chriſtum agnoſcimus, & adoramus vt Deum, vt Cœli Regem & Præſidem. Nos adoramus eius Orientem, hoc eſt, Nativitatem, per quam viſitavit nos Oriens ex alto. Adoramus & eius Occidentem, hoc eſt, Mortem, per quam non tam ipſe occidit, quàm Mors, quia morte ſua eam occidit: dum enim illa in ipſum irruit, ruit: *& iure omnium perdidit ſervitutem, dum nihil ſibi debentis perſequitur libertatem*, vt loquitur S. Leo. Adoramus deindè eum renaſcentem & gyrantem per Meridiem, donec flectatur ad Aquilonem, vt cap. 1. loquitur Eccleſiaſtes, Hoc eſt, adoramus eius Reſurrectionem & Aſcenſionem, donec veniat ad judicium, à quo tamquam ab Aquilone ſuper impios *repandetur omne malum.*

*Hier. 1.*

Hic eſt ergò Sol noſter, Rex poli, ſolus noſtri ſoli ſalus, Cor cœli, Mens mundi, Fons luminis, vt Solem appellavêre antiqui; denique, vt paucis complectar, ipſe eſt vita & beatitudo noſtra, ideò meritò adorandus. Hunc Solem adorant Apoſtoli Quadriga ſua vectum, quatuor Rotis, quatuor Equis, hoc eſt, quatuor Dotibus glorioſis; adorant, inquam, in monte Galileę mox à Reſurrectione, Noſque illuc convenit properare ad adorandum & ſalutandum eum hoc Paſchali tempore, quod tempus eſt lætitiæ & ſolemnitatis noſtræ, tempus novi Solis, de quo Sole dixit Propheta: *Sanitas in pennis eius*, hoc eſt, in Radijs eius extenſis. Fugare enim optat tenebras noſtras, & noctis graves nox oſque humores à nobis depellere languentibus; frigusque pigrum excutiendo, nova nos lætitia & vigore lætificare, vt poſſit dici nos iam in ipſo, & cum ipſo, reſurrexiſſe nova vita, nova luce, nova mente.

*Malac. 4.*

Quantum ad Lunam, hanc adoraſſe Gentiles & Idololatras Iudæos, habemus Ierem. 7. *Filij colligunt ligna, & Patres ſuccendunt ignem, & mulieres conſpergunt adipem, vt faciant placẽtas Reginæ Cœli.* Quaſi dicat. Omnes de familia cooperantur Idololatriæ, pueri ſtipulas & ligna colligendo, viri furnum accendendo, mulieres pinſendo, & maſſam ac paſtam conſperſione farinæ, aquæ, ſalis, butyri conficiendo, vt placeant Reginæ Cœli placentas ei componendo. Sed quęnam hæc REGINA CÆLI? Vtique Luna eſt, quam his adorabant muneribus. Nam Placentas rotundas & ſtellatas componebant figura Stellarum eis impreſſa, vt ſignificarent ſe eas Reginæ Cœli & Stellarum offerre. Reginam vocabant, quia Solis ſoror eſt, nocti præſidens ſuo ſplendore, quaſi Moderatrix, Illuminatrix, & Regina.

*Luna à Gentilibus Regina cœli dicta.*

Nos Chriſtiani non aliam REGINAM CÆLI agnoſcimus præter Deiparam, quæ ipſum genuit Cœli Regem, & in Canticis dicitur PVLCRA VT LVNA. Hæc eſt Phebe, hæc Diana noſtra hæc Solis noſtri non ſolùm Soror, ſed & Mater.

*A Chriſtianis B. Virgo Regina Cœli appellatur.*

Huic Collyridiani hæretici, teſte Epiphanio, per certas mulieres ad hoc deſtinatas, in curru ſellave coronata, ac velo paſſo obducta, Collyrida ſive Placentam feſto quodam per aliquot dies proponere, ac quaſi Deæ offerre ſolebant, & indè omnes ſimul congregatæ participabant. Sed hæc erroneè: nam Eccleſia non eam Deam agnoſcit, quamvis agnoſcat Deiparam: non cultum Latriæ ei decernit, ſed hyperduliæ, qui inferioris eſt gradus. Interim fatetur Reginam cœli, quia ſic voluit is quem genuit. Et placentas non materiales ei offert, ſed ſpirituales, id eſt, encomia & laudes dignitati eius proportionatas. Quòd ſi Placenta à *placando* dicta eſt, vel vt alij dicunt à *placendo*, ei certè placent noſtræ laudes & preces, ob quas Filium ſuum nobis reddit placatum; ſicque meritò eas Placentas vocaverimus reſpectu Regis & Reginæ Cœli.

*Hæreſ. 79.*

Stelliferæ & lucidæ ſunt Placentæ hæ; hoc eſt, laudes ei oblatæ, quia offeruntur Reginæ & Mulieri illuſtri Stellis coronatæ. Rotundæ debent eſſe & integræ, inſtar Coronæ orbicularis & radiantis, vertici eius apponendæ. In huius rei ſignificationem accendi ſolent in honorem eius Cerei in Candelabris Orbicularibus Coronæ inſtar confectis. Quod fit in Templis Chriſtianis ad ſupprimendam alteram cæremoniam, qua Ethnici Dianæ, ſeu Lunæ, *Amphiphones*, id eſt, Placentæ affixis & accenſis circum circa cereis in Templo *Munichia* dicto offerebant, vt antiqui referunt Hiſtorici.

*Quales placentæ ſint B. V. Reginæ Cœli offerendæ.*

*Pollux l. 6. c. 14. Heſichius & alij.*

Cæterùm Maria Deipara quandoque intitulatur *Regina cœli*, quandoque *Regina cœlorum*, vt habet Antiphona altera: *Ave Regina Cœlorum, Ave Domina Angelorum.* Pro quo obſerva ſacris in litteris triplex Cœlum agnoſci, Aëreum, Sydereum, Empyreum. Hac ratione Sanctus Paulus dicitur raptus in tertium cœlum, hoc eſt, vltra aëreum & ſydereum in cœlum empyreum & ſupremum. Habet Maria vt Regina potentiam ſuper triplex illud cœlum. Dominatur Aëri, & ibi ſuper Poteſta-

*Cœlum triplex in ſcriptura.*



UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

*Iob. 40.* tes Aëreas auctoritatem habet, hoc eſt, ſuper Dæmones, ad eos compeſcendos, *Numquid illudes ei quaſi Avi?* Dominatur cœlo ſydereo; eſt enim Mulier illa, quæ dicitur *Signum Magnum in Cœlo,* Lunam habens ſub pedibus, Stellas in capite. Dominatur & in cœlo empyreo, vbi Thronum ei dat Filius, Dominus Virtutum, Rex gloriæ: *Aſtitit Regina à dextris in veſtitu deaurato circūdata varietate.*

*Apoc. 12.*

*Pſal. 44.*

*Magnitudo gaudij B. V. in reſurrectione Filij.*

Huic porrò Reginæ dicimus *Lætare*, renovantes memoriam gaudij, quo eius fuit perfuſus animus in Reſurrectione amantiſſimi Filij. Non poſſumus ſatis explicare gaudium illud, quia nec ſatis explicare valemus deſiderium, quo flagrabat videre Filium, & cum eo totum mundum redivivum.

*Iudic. 14.*

Cùm Samſon in ore Leonis inveniſſet favum mellis, gaviſus eſt, & Matri primò dedit partem vt guſtaret, *è Forti dulcedinem.* Sic Chriſtus cùm interemiſſet extenſis in cruce manibus Catulum Leonis furibundum, hoc eſt, Mortem & Dæmonem; Favum mellis extraxit è faucibus eius, gaudium ſanctiſſimum quaſi Mel ſuaviſſimum. Immò & plebem ſanctam Juſtorum ex eius ore eripuit, quaſi Mel dulce. An non Matri ſuæ huius gaudij primam dedit partem? An non ipſa? *è Forti dulcedinem* ſenſit? An non vidit eum exultatione plebem progenitorum ſuorum gloria coronatam & faucibus inferni eductam? Hanc lætitiam indicibilem promeruit, quæ mœrore ſupra omnes affecta fuit, dicere potuit illud Filio: *Secundùm multitudinem dolorum meorum conſolationes tuæ lætificaverunt animam meam.*

*Pſal. 93.*

Si inſtar Rachaelis Filium ſuum ſub cruce afflicta voce flebili vocare potuit *Benoni*, hoc eſt, *Filium doloris mei*, dum in Reſurrectione contemplatur eum à Patre vocatum *Beniamin*, hoc eſt, *Filium dextræ & gaudij*, decuit eam cum jubilo cordis brachijs ferventiſſimi amoris pedes eius amplecti, & adorare viventem in ſæcula ſæculorum.

Denique de Iacob teſtatur Scriptura, quòd audiens Filium ſuum vivere, & dominari Ægypto, quaſi de gravi ſomno excitatus inclamarit: *Sufficit mihi ſi filius meus vivit, vadam, & videbo illum, & lætus moriar.* Si tanto repletus eſt gaudio propter Ioſeph, quanto ampliori Maria propter Filium ſuum, & Filium Dei? Hanc vocem non ſolùm ad Mariam, ſed & ad omnes pias animas extendens. *Sufficit ſi Ioſeph filius meus vivit, ô digna vox amicis Ieſu, ô planè fidelis! O caſtiſſimus affectus, qui ſic loquitur; Sufficit & mihi, ſi Ieſus vivit. Si vivit, vivo cum ipſo, cùm de ipſo pendeat anima mea, & ipſe ſit vita mea, ſufficientia mea. Quid mihi deeſſe poterit, ſi Ieſus vivit? Immò deſint omnia alia, nihil intereſt mea, dummodò Ieſus vivat. Ipſe ergò, ſi ei placet, deſim mihi? ſufficit, ſi modò vivat ipſe vel ſibi.*

*Guarricus Abb. ſer. 1. de Reſurrect. ſic.*

## REGINA CÆLI LÆTARE.

Meritò certè huic Reginę Cœli, Matri Chriſti Domini noſtri, & omnium filiorum Dei, dicimus in reſurrectione Filij ſui, LÆTARE, & iuſſus in verſu Antiphonæ, GAVDE ET LÆTARE. Illud enim ei aptiſſimè convenit, quod in Evangelio Dominus pronunciauit: *Mulier cùm parit, triſtitiam habet, quia venit hora eius. At cùm peperit, non meminit preſſuræ, propter gaudium, quia natus eſt homo in mundum.* Tu, ô MARIA, ſub cruce iterum peperiſti Filium tuum; & graviſſimos acerbiſſimosque partus dolores, quos anteà effugeras, ſubijſti, illum novo modo pariens, & nos cum ipſo. Venerat tunc hora tua acerrimis miſta cruciatibus. Nunc novus homo natus eſt in mundum per reſurrectionem, quæ & regeneratio dicitur, per quam & renovat mundum, tibiq; adducit grandem numerum filiorum in te lætantium. Novum igitur ex nato novo homine concipe gaudium, novamque lætitiam. Obliviſcere preſſuræ & dolorum, & dic: *Converti ſti planctum in gaudium mihi, conſcidiſti ſaccum meum, & circumdediſti me lætitia, vt cantet tibi gloria mea.* Iam verificetur de te illud: *Qui habitare facit ſterilem in domo Matrem filiorum lætantem* Hæc omnia ſignificantur per iſtud præconium noſtrum. REGINA CÆLI LÆTARE. Quod quidem cani debet in Eccleſijs, nō flexis genibus, ſed erecto corpore, erectaque mente, vt ſignificetur externa quoque ſpecie illud gaudium, quod attulit Reſurrectio Chriſti Mariæ, & diſcipulis, & omnibus rectis corde. Tunc enim *Lux orta eſt juſtis, & rectis corde lætitia.* Tunc quoque ſtetit ipſe erectus in medio diſcipulorum, qui curvatus fuerat ſub gravi onere crucis in medio latronum. Quapropter, vt advertit Ven. Beda, in memoriam Reſurrectionis Chriſti, & ob ſpem noſtræ Reſurrectionis, toto tempore Paſchali Eccleſia orans non flectit genua ſicut alio tempore; ſed ſtans orat. Quod etiam advertit Sanctus Thomas in Catena ſua explicans illud, *Stetit in medio diſcipulorum.*

*Ioan. 16.*

*Pſal. 29.*

*Pſal. 112.*

*Quare Regina cœli erecto corpore recitatur.*

*Pſal. 96.*

Memorabilis eſt cæremonia Eccleſiæ in Dominica *Lætare*, nec à noſtro propoſito aliena. Solet eo die Pontifex cum ſolemnitate benedicere Roſam auream, tanquam lætitiæ gaudijque prænuntium; & poſt Miſſæ celebrationem circumferre eam in conſpectu populi cum celebri plauſu, & quandoque offerre alicui è Principibus maximis in ſymbolum gratiæ ſpecialis Apoſtolicæ Sedis erga illum.

*In Dominica Lætare benedicitur Romæ à Pontifice Roſa aurea, quæ mittitur vni ex Principibus in ſignum gratiæ ſpecialis.*

Hinc referunt Hiſtorici ex Actis Alexandri tertij Pontificis, quòd anno Chriſti milleſimo centeſimo ſeptuageſimo ſeptimo, cùm Venetijs eſſet, & ex civitatibus circum-vicinis multitudo nobilium ad eius præſentiam veniret, vt eum viderent, & audirent tanquam Angelum à Deo miſſum, dignum duxerit in Dominica *Lætare* ad Eccleſiam B. Marci, ſolemnia Miſſarum celebratu-

T 2

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

lebratus accedere. Indutus itaque ſacris veſtibus, & de conſuetudine auream ferens Roſam cum Epiſcopis & Cardinalibus ad Altare maius proceſſit. Poſt Evangelicam lectionem, populo Dei ex diverſis partibus congregato Paſtoraliter prædicavit, & completis Miſſarum ſolemnijs, Roſam, quam detulerat & benedixerat, Duci Venetiarum in ſignũ gratiæ Sedis Apoſtolicæ contulit.

*Ita refert Baron. tom. 2.*

Anno quoque Domini milleſimo quadringenteſimo quadrageſimo nono Nicolaus Pontifex, eius nominis quintus, cùm in Dominica LÆTARE de more Roſam conſecraſſet, illam miſit Lantgravio Thuringiæ & Haſſiæ, qui ſtirpe ſexta poſt Divam Elizabetham inter omnes Germaniæ Principes præcipua clarebat pietate; eamque ipſe religioſiſſimè cum gaudio excepit.

*Iacob Mayeris Ann. Fland. 1449.*

De hac etiam cæremonia mentionem facit Guilielmus Durandus in ſuo Rationali l 6. agens de hac *Dominica Lætare*, vbi dicit, quòd in ea Romanus Pontifex celebraturus, ad Eccleſiam pergens, & rediens ab eadem auream Roſam ſub populi aſpectu ferat, & Vrbem circumeat cum lætitia. Quam cæremoniam ſic interpretatur *Roſa in manu Pontificis gaudium Iſraelitici populi deſignat, quando per gratiam Chriſti data eſt illi de captivitate Babylonica redeundi licentia. Quòd verò ille cum multo equitatu & lætitia civitatem circumit, figurat gaudium illius populi in civitatem Ieruſalem reverſi, atque communionem totius fidelis populi, & Eccleſiæ lætitiam de præmiſſis.*

Dicamus nos quòd in Dominica Reſurrectionis, quæ per excellentiam *Dominica Lætare* appellari debet, quia de ea ſcriptum eſt ſpecialiter: *Hæc eſt dies quam fecit Dominus, exultemus & lætemur in ea:* dicamus, inquam, quòd Chriſtus Dominus, tamquam ſummus Sacerdos & Pontifex, Roſam in ea conſecrarit auream, glorioſis ſuis veſtibus, ſive Stola gloriæ indutus; quam Matri Roſam in ſymbolum lætitiæ obtulit, dum ei apparens primo loco inter omnes, per ſe, vel per Angelos, hoc nuntium gaudij plenum nuntiavit: *Regina Cœli lætare, alleluya: Quia quem meruiſti portare, reſurrexit ſicut dixit, alleluya.* In die enim Reſurrectionis Angelos Alleluya decantaſſe habetur in Pontificijs Decretalibus cap. *Hi du* . le conſecr. d. 1. In ſignificationem quoque huius primæ apparitionis in Romana Eccleſia Pontifex in die Paſchatis primam facit ſtationem ad S. Mariam Maiorem, vbi decantatur cum jubilo illud, *Regina Cœli lætare, alleluya.*

*In Dominica Reſurrect. quæ Dominica Lætare dicitur obtulit Chriſtus Matri ſuæ Roſã auream dum ei primo loco ante omnes apparuit.*

Hæc itaque Salutatio velut Roſa aurea eſt, ſive Roſa aureis intertexta folijs, quam quotannis Reginæ Cœli repræſentamus in gaudij tunc concepti renovationem, vt & nos gaudij illius efficiamur participes per Paſchale tempus. Illius Roſæ colore, odore, ſapore myſtico, nos refici oportet cum Maria in hoc tempore, vt tandem ſatiemur in æternitate Roſæ & Floris illius viſione & fruitione, quem Maria generavit pro Electorum omnium æterna conſolatione.

Si Mater iunioris Tobiæ tanto perfuſa eſt gaudio, dum vidit Filium ſuum ſanum & incolumem redeuntem è partibus exteris: quanto putas gaudio delibuta fuit Mater Chriſti, dum eum cernit redivivum ab inferis?

Si mulier illa Evangelica tanta afficitur lætitia propter dragmam & gemmam repertam, quam tanto requiſierat deſiderio: quid dicemus de Mariæ lætitia, dum cordis ſui Theſaurum Ieſum ſub tenebris ſepulchri, & in corde terræ anteà abſconditum, nunc palàm videt luce gloriæ promicantem?

Si Reges *gaviſi ſunt gaudio magno valdè*, Stellam ſuam rurſus reſpicientes viæ ducem: quale fuit Mariæ gaudium, dum Stellam ſuam, immò Solem ſuum, cernit redivivum, & novo Oriente renaſcentem, vt quaquàverſum toto Orbe tenebras diſſipet caliginoſas?

Denique, ſi Maria poſt triduum reperiens in Templo Filium, tanta cordis exultatione afficitur: longè maiori debet perfundi lætitia, dum poſt triduum Paſſionis illum cernit incolumem: *Poſt triduum reperitur in Templo, vt eſſet indicio, quia poſt triduum triumphalis illius Paſſionis in Sede cœleſti & honore divino Fidei noſtræ ſe ſuſcitatus offerret, qui mortuus credebatur.* Propter hæc igitur omnia decantamus Mariæ læta mente & voce: *Regina Cœli lætare.*

*Ambr. in c. 2. Luca l. 2.*

## PROSECVTIO, REGINA CÆLI LÆTARE, ALLELVYA.

*Sect. II.*

LÆtari nos omnes convenit cum Maria Matre noſtra, & laudare Dominum in ſua Reſurrectione: Ideò non ſolùm dicimus: *Regina Cœli lætare*, ſed etiam adijcimus, *Alleluya*, hoc eſt, *Laudate Dominum.* Quæ vox reperitur ad ſingulos verſus, quia & ſic auditi ſunt repetere & canere Angeli in Proceſſione ſolemni à S. Gregorio inſtituta. Hanc certè vocem Angeli ſæpiùs vſurpaſſe & decantaſſe leguntur, vt eorum edocti exemplo illam pio cantu imitaremur; nam in Reſurrectione Domini, per quam eorum ruinæ ſunt reſtauratæ, Angelos Alleluya decantaſſe piè creditur. Ideò in Vigilia Reſurrectionis Dominicæ Sacerdos in Miſſæ Graduali ter repetit *Alleluya*, gradatim cantando, & altiori ſemper voce repetendo; cui correſpondet ſimili etiam modo & voce Chorus trina repetitione. Qua quidem variatione ſignificatur Deum laudari à triplici Hierarchia Angelorum, altè, altiùs, altiſſimè: & ſic etiam ab hominibus laudandum eſſe in Myſterij ſublimis celebri rememoratione altè, altiùs, altiſſimè, hoc eſt, omni cordis intentione.

*S. Gregorius cap. 12. Conſ. d. 1.*

Hanc etiam vocem docuerunt Angeli antiquos Monachos Æpyptum & Thebaidem inhabitantes. Sicut. n. refert Caſſianus: *cùm inter ipſos diverſus mos foret in numero Pſalmorum concinendo, dum*

*lib. 1. de Inſtit. Monach.*

alij

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

*alij plures, alij pauciores decantarent. His ad piam hanc contentionem dirimendam congregatis, adfuit Angelus in medio, librum Pſalmorum proferens, & duodecim Pſalmos decantans ſignificansq; tot eſſe decantandos pro Nocturna vigilia. Quibus finitis,* Alleluya *pro conſummatione adiunxit, & decantavit, & exindè ſiluit, nec amplius viſus eſt.* Hinc in Concilio Tutonico c. 19. legimus: *Ad Matutinum ſaltem duodecim Pſalmi expediantur, ſicut Patrum Statuta præceperunt, & dicantur cum Alleluya: quod etiam Angelo oſtendente didicerunt.*

*In Legat. Æthiopica.*

Refert quoque Fran. Alvarez in Torretana ditione eſſe Cœnobium Religioſorum nuncupatum Allelvya, ab hoc eventu. Cænobita quidam vixerat ibi in vicinia, vigilijs, ieiunijs, & orationibus aſſiduè vacans, & ipſe à beatis ſpiritibus ſæpè audiverat decantari *Alleluya* cantu ſuauiſſimo. Hac voce relata ad Præfectum Monaſterij, extitit ei auctor, vt Monaſterium tunc inchoatum hoc nomine appellaretur. Sic frequenter Angelos hanc vocem triumphalem ſono cœleſti repetijſſe, & eam homines docuiſſe ſuo exemplo, ex hiſtorijs conſtat.

*Alleluia vox eſt Hebræa.*

Hic verò advertendum, *Alleluya*, eſſe vocem Hebræam, deſumptam ex Davidicis Pſalmis. David enim viginti Pſalmis hunc titulum præfixit *Alleluya*; quia ſpecialiter ad Dei laudem pertinent, & hos Pſalmos vocat S. Auguſtinus Alleluyaticos præfatione in Pſalmum 104. Hanc autem vocem Hebræam nullus Doctor, Hebræus, Græcus, vel Latinus, propter ſui dignitatem mutare fuit auſus. Sic & vox *Amen* à Chriſto pronunciata in Evangelio ſine mutatione permanſit. De excellentia autem huius vocis *Alleluya*, ſic dicit Ioa. Caſſianus: *Alleluya tantum habet honorem, vt in Hebraica lingua ſit traditum, nulloq; alio ſermone tranſlatum. Hoc Græcus, hoc Latinus, hoc Syrus, hoc Chaldæus, hoc Perſa, hoc Arabs, hoc tenet cuncta terrarum natio. Et quidquid eſt debitum Divinitati, dignitate huius nominis pia devotione veneratur. Hoc nomen nulli abſonum, nulli abſurdum, quia omnes celebrant gaudia ſua cum ſuavitate huius nominis prolata.*

*Quare Tempore Paſchali toties repetatur?*

In Pſalmis Davidicis quandoque pro titulo ponitur duplex Alleluya, ſicut & tempore Paſchali duplex Alleluya in Miſſa decantatur pro Graduali. Et primum quidem *Alleluya* ponitur ad ſignificandam laudem Dei, qua in præſenti laudatur à juſtis in Eccleſia Militante: ſecundum *Alleluya* ſignificat laudem Dei, qua laudatur à Beatis in Eccleſia Triumphante. Quandoque in Eccleſiaſtico Officio triplex *Alleluya* cantatur pro ſignificanda laude Trinitatis Sanctiſſimæ. Quandoque novies repetitur (vt fit in Laudibus Paſchali tempore in Dominicis) ad deſignandam laudem à novem Angelorum Choris oblatam in Cœlis. Denique, quater repetitur tempore Paſchali in quibuſdam Horis Canonicis, *Alleluya, alleluya, alleluya, alleluya*; ſicut quater repetitur in hac noſtra Antiphona Gregoriana: quia hæc vox quater repetita fuit à Beatis in Apocalypſi cap. 19. Nam verſu primo dicitur:

*Audivi vocem turbarum multarum dicentium Alleluya, Salus, & gloria, & virtus Deo noſtro eſt.*

Verſu verò tertio ibidem adijcitur:

*Et iterum dixerunt Alleluya.*

Verſu quoque quarto illud ſequitur;

*Et ceciderunt ſeniores 24. & adoraverunt Deum ſedentem ſuper thronum dicentes Amen, Alleluya.*

Verſu denique quinto & ſexto ſic ibi habetur:

*Vox de throno exivit dicens, Laudem dicite Deo omnes ſervi eius, puſilli & magni. Et audivi vocem turbæ magnæ, tanquam vocem aquarum multarum & tonitruorum magnorum dicentium, Alleluya: Quoniam regnavit Dominus noſter omnipotens.*

Si ergò quæris quid ſit *Alleluya*, & cur toties repetatur ab Eccleſia, maximè tempore Paſchali, dicam eſſe cœleſte Beatorum Canticum, de quo dixit Tobias. *Per viros Ieruſalem Alleluya decantabitur.* Ideò verò ab Eccleſia toties hoc tempore replicatur, quia tempus Paſchale repræſentat tempus æternitatis, in quo perennis erit laus, & triumphus, ac iubilus.

*Cap. 13.*

*Eſt veluti Flos cœleſtis Paradiſi.*

Itaque *Alleluya* eſt velut Flos cœleſtis Paradiſi, qui ſatus fuit cum Ieſu Nazareno, ſive Florido, in Horto ſepulchri, & germinavit cum eo, totumque Orbem ſuo replevit odore. Et in finem vſque ſæculi Flos iſte Eccleſiam replebit ſuavitate, donec iterum in cœli Hortum & Paradiſum ſe recipiat, vt floreat, & fructificet, odoremque exhalet ſuaviſſimum tota æternitate. Dicit Egeſippus Hortum Olivarum, Domini mœrore & ſudore perfuſum, tuliſſe flores, quibus circumſcriptum erat: O *Mors, quàm amara eſt memoria tua!* Nos quoque meritò dicemus, Hortum reſurrectionis tuliſſe flores, quibus circumſcriptum ſit *Alleluya, Alleluya, vbi eſt Mors victoria tua!*

*Egeſippus de excidio Hieroſol.*

Hoc porrò ſymbolicè dictum ſit & myſticè. Attamen & hoc mirum eſt, quòd Terra producat Florem (non ſine providentia particulari Dei) qui *Flos Paſſionis & Reſurrectionis Domini* rectè nominari poteſt, eſtque Flos amabiliſſimus & elegantiſſimus. Hic eſt Flos ille, quem Hiſpani *Granadillam* vocant, & invenitur in Regno Peruano, exhibetque cum pulchritudine & colorum diverſitate inſtrumenta & myſteria Paſſionis Domini. Videre licet in eo fructum ſpeciem cordis habentem, Claviculos ſicut in Vite funium formam referentes, foliumque virens cuſpidis lanceæ figuram gerens. Flos ille ſeptem quaſi gladiolis ſuſtentatur, in eo ſunt velut quinque rubentes ſanguinis guttæ. Inter has columna, & ſuper hanc tres clavi ſpinoſa corona circumdati. De eo ſcribit Io. Boterus in deſcriptione Veris his verſibus:

*Sed non convenit relinquere Granadillam,*
*Quæ eſt ſummus honos Florum Mexicanorum;*
*In quo Flore ſi penitiùs inſpicias,*

*Videbis Chriſti tui aſperos dolores,*
*Columnam, Plagas, & purpuream*
*Coronam: & hoc quod in Cruce a eras.*
*Coopertos ſanguine acutos clavos,*
*Et ſi te pietas permovet, funes & nodos.*

Fuit Flos ille ab Indijs Occidentalibus allatus, & Summo Pontifici Paulo V. oblatus, exinde eius pictura crebrò repræſentata eſt in his Provincijs, nam terra noſtra Occidentalis talem nequit producere aut fovere Florem. Dicamus ergò, quòd Indiarum terra hunc Paſſionis & Reſurrectionis Dominicæ amœnum & admirabilem Florem ferens, quodammodò cenſeatur inſonare, Alleluya, Alleluya, laudans Dominum de Inſignijs Paſſionis ſuæ poſt Reſurrectionem glorioſis

*Quo fructu Alleluya decantetur.*

*1. Hortatur ad gaudium ſpirituale*

*Pſal. 65.*

Quòd ſi quæritur vlteriùs, quem fructum habeat Alleluya decantatum? Dicamus primò, quòd hortetur omnes ad gaudium ſpirituale, quo congratulemur triumpho Redemptoris noſtri, & Victori mortis ac inferni, quaſi illi caneremus, ſicut olim poſt Triumphatores ſolitum erat, *Io triumphe, Io triumphe:* Aut quaſi inclamaremus cum Propheta ovante. *Vivit Dominus, & exaltetur Deus ſalutis meæ, liberator meus de inimicis meis iracundis.*

Hac voce olim Chriſtiani ad fortiter ferenda martyria, & triumphandum de Tyrannis, ſeſe animabant. Sic in Actis SS. Felicis, Achillei & Fortunati legimus, quòd cùm propter Fidem atroci eſſent carceri mancipati, ad martyrium ſeſe mutuò invitabant & accendebant, illud decantando: *Omnis terra adoret te, & pſallat tibi, pſalmum dicat nomini tuo. Alleluya, Alleluya,*

Hæc vox triumphalis contra Eccleſiæ hoſtes viſibiles quandoque valuiſſe legitur. Nam S. Germanus Altiſiodorenſis Epiſcopus cùm Angliam ab hæreſi Pelagiana purgaret, atque eam etiam à bellis contra Saxones protegere vellet, dum exercitus ſeſe aggreſſuri eſſent, accurrens ad Anglos & iubens lætabunda voce omnes milites inclamare, Alleluya, Alleluya, eos ſecuros fecit de victoria. Hæc enim *Vox exultationis & ſalutis in tabernaculis iuſtorum* ita terruit hoſtes ſicut vox Gedeonis, & ſociorum, Madianitas. Nam percuſſo aëre in montibus voces multiplicatæ fuerunt, & ipſi territi, proiectis armis, in fugam converſi ſunt, relictis curribus & ſupellectili omni cum confuſione totius exercitus. De qua re ſic Baronius anno 429. ex Conſtantino Epiſcopo: *Hoſtile agmen terrore proſternitur, & putans ruiſſe ſuper ſe non ſolùm rupes circumdatas, verùm etiam ipſam Cœli machinam, contremiſcit.* Factum id fuit Paſchali tempore, & iuſſerat primùm S. Germanus Sacerdotes ſublimi voce tertiò inclamare *Alleluya*, ac deindè totum populum & exercitum magno clamore ſubſequi. Sic hæc vox victorioſa *Alleluya, alleluya,* idem valuit contra hoſtes infideles, quod illa, *Io triumphe, Io triumphe.* Quapropter quando illam repetimus Mariæ, & dicimus, *Regina Cœli lætare,* triumphum Filij eius, qui & Matris eſt, rememoramus gaudioſè & glorioſè.

*2. Valet contra hoſtes inviſibiles.*

Dicamus ſecundò, quod & hæc vox piè pronuntiata, *Alleluya*, valida ſit contra hoſtes inviſibiles. Refert Cæſarius l. 4. c. 54. quemdam Religioſum Tyronem Gerardum, multis dæmonum tentationibus & aſſultibus fuiſſe divexatum, ſed per *Alleluya* decantatum, liberatum tandem fuiſſe ab hac vexatione, & dæmonem fugaſſe ea voce.

Sic etiam legimus in vita B. Mariæ Ogniacæ, eam in extremitate morbi multoties repetijſſe *Alleluya:* & per illud non ſolùm mœrorem, ſed etiam inſidias inimici fugaſſe, poſt illiusque decantationem, ſpiritum in manus Domini ſuaviter tradidiſſe, & ad æternum Alleluya tranſiviſſe. Cardinalis Vitriaco ſic tradit in eius vita.

Odit Satan hanc vocem *Alleluya*, quia cœlitùs adſpirata eſt, & tradita hominibus, & quia horret ipſe Dei laudem, hanc vocem ægrè ſuſtinet. Audi & ex vita S. Germani Pariſienſis, quomodo hæc vox contra ignem, & contra dæmonis aſtutias prævaluit. Ibi ſic habemus: *Amando Monacho fenile ingrediente cum lumine, carbone decidente flamma fœnum corripuit. Laſſus cibum tunc accipiebat S. Germanus. Concurrentibus reliquis, nec ſuccurrentibus, tardiùs ipſe proſiliens, rapta de foco cucuma, aſcendit ſuper fabricam, concinens* Alleluya; *& paululum aquæ crucis in modum fundens, extinguit incendia. Sic de manu Sancti imbre fluente, cum laude Dei decantata, ſedatus eſt ignis, quem multa vix extinxiſſent flumina. Poſtero die dæmon faſſus eſt ſuis inſidijs hunc ignem accenſum.*

*Fortunatus Epiſ. cap. 5. vitæ eius.*

*3. Eſt vox gratiarum actionis.*

Dicamus tertiò, quod hæc Vox ſit gratiarum actionis, Vox omni ætati, omni ſexui, omni ſtatui & conditioni hominum conveniens, incitans ad gratiarum actionem Deo reddendam pro innumeris beneficijs. Propterea teſtatur S. Hieronymus ſolitum antiquitus decantari, vel pronunciari Alleluya, perſonis à varijs, idque varijs de cauſis.

1. Moniales & Monachi hac voce noctu ad preces, Deique laudes, vocabantur in templum.

2. In Monaſterijs illa altiùs repetita vocabantur ad ſacram Synaxim, vt teſtatur S. Hieronymus factum in Monaſterio S. Paulæ, dum eius deſcribit vitam.

3. Idem in Epiſtola ad Marcellam, ep. 17. dicit etiam à Ruſticis agros colentibus decantari ſolitum: *Quocumque te verteris,* ait ipſe, *arator ſtivam tenens Alleluya decantat, & ſudans meſſor pſalmis ſe avocat, & curva attondens vitem falce vinitor aliquid Davidicum canit. Hæc ſunt in Provincia carmina, hæ, vt vulgò dicitur, amatoriæ cantiones, hic paſtorum ſibilus, hæc arma culturæ.* Ita S. Hieronymus. Quod quidem notandum pro priſca pietate memorabili contra voces acerbas impatientiæ & exacerbationis, quas in animalia intorquere ſolent agrorum hocce tempore cultores, & contra impuras & laſcivas eorum cantiones.

Pueris quoque pro prima voce ſolebat cum lacte inſtillari vox *Alleluya*, vt hanc ſic edocti à te-

ñeris annis, frequentarent. Quod teſtatur etiam S.Hieron.ad Lætam ſic ſcribens: *Quis hoc crederet, vt Albini Pontificis neptis de repromiſſione Martyris naſceretur, vt præſente adhuc avo parvula adhuc linguá balbutiens Chriſti alleluya reſonaret* Et infrà ſubdit: *Cùm avum viderit, in pectus eius tranſiliat, de collo pendeat, nolenti alleluya decantet.*

*Eſt Deo gratiſſima. Aug. in Pſ. 106.*

4 Hæc vox, quia confeſſionis vox eſt & laudis, gratiſſima Deo eſt, Deiparæque, ac Sanctis omnibus, ideò S.Auguſtino teſte, ab Eccleſia Catholica toto Orbe diffuſa antiqua traditione in uſu eſt.

Refert Victor Vticenſis lib. de Wandalica Perſecutione, de quibuſdam pueris Choraulis, quòd poſtquam eis Ariani linguas amputaſſent, tamen plena voce reſonarent, *Gloria in excelſis, & Alleluya*; quo miraculo oſtendit Deus, quàm ei grata eſſet vox hæc piè reſonans, & ex corde procedens. Dicamus ergò Mariæ Deiparæ, & repetamus ex corde: *Regina Cœli lætare, Alleluya*; quod aptiſſimè congruit fieri hoc Paſchali tempore cum pia lætitia, cum læta pietate.

---

## SECT. III. QVIA QVEM MERVISTI PORTARE, ALLELVYA.

QVærebat quondam Dominus à ſuis diſcipulis in familiari colloquio, quid de ſe dicerent homines, quamque de ſua perſona opinionem conciperent, viſis tot geſtis & miraculis, tot auditis divinis eloquijs, eius ex ore fœcundiſſimè & facundiſſimè promanantibus? At illi dixerunt: *Aliqui te dicunt eſſe Eliam, alij Ioannem Baptiſtam, alij Hieremiam, aut vnum ex Prophetis.* Subdit Dominus: *Vos verò quem me eſſe dicitis?* Petrus præ omnibus, & pro omnibus, in Fidei ſublimem profeſſionem, aſſurgens, dicit: *Tu es Chriſtus Filius Dei vivi.* Quam quidem aſſertionem altè laudat Dominus, & remunerat ſpeciali præmio, dicens: *Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adverſus eam.*

*Mat. 16.*

Vbi adverte 1. Petrum ſuo reſponſo complexum eſſe, velut compendio, omnia quæ de Chriſto dici poſſent: nam omnes excellentiæ eius & perfectiones quaſi rami ex hac radice, *Tu es Filius Dei vivi*, ſuam trahunt originem & vitam: Sicque qui dicit fide viva: *Tu es Chriſtus Filius Dei vivi*, implicitè omnia cenſetur dixiſſe, quæ Chriſto competunt. Vnde & S.Petrus, cùm iſtud pronunciavit, omnia ſe complexum, quæ præmiſſam quæſtionem concernerent, meritò exiſtimavit. Et Chriſtus Dominus etiam illud reſponſum tanquam abſolutiſſimum, ab ore Petri ex revelatione cœli promanans, acceptavit & laudavit, ita vt nihil vltra foret neceſſarium adjungens.

*Omnis dignitas Chriſti D. conſiſtit in hoc quod ſit filius Dei vivi.*

Adverte ſecundò, quòd de quolibet Fideli in gratia exiſtente poſſit iure dici vtrumque, *Tu es Filius Dei vivi, & Tu es Filius Dei morientis*, ſive *mortui*. Quia per mortem ſuam Chriſtus, Dei naturalis Filius, acquiſivit nobis ſpiritum adoptionis, & gratiam ſanctificationis, qua Filij Dei adoptivi vocaremur, dicente Apoſtolo Ioanne: *Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, vt Filij Dei nominemur, & ſimus.* De Chriſto autem nequit dici, quòd ſit Filius Dei mortui vel morientis, quia ipſe eſt Filius Patris Æterni, illius inquam Patris, in quem mors non cadit, qui Principium eſt vitæ in Filio, cui & originaliter illud convenit. *In ipſo vita erat.* Cùm ergò Pater ille ſit eſſentialiter ſemper vivens, & ab ipſo Filius procedat tanquam Vita & Verbum vitæ, hinc dicitur *Filius Dei vivi.* Nos autem participamus de hac Filiatione, de hac vita, per adoptionem, hinc etiam dicit Deus per Ozæam Proph. Et erit in loco, vbi dicetur eis, *Non populus meus vos.* dicetur eis, *Filij Dei viventis.* Quia verò per mortem Chriſti Filij Dei vivi nobis hæc adoptio & filiatio contigit, vt diximus, hinc rectè etiam dicimur, *Filij Dei morientis.* Morti enim propter nos ſe ſubiecit.

*1. Ioan 3.*

*Oſe. 1.*

Sic, vt ad propoſitum propiùs accedamus, ſi quæreret à nobis quiſpiam, immò vel ipſa Maria Virgo, quid de ipſa ſentiamus, quid credamus, ſufficeret illud pronuntiare viua fide & affectione: *Tu es Mater Filij Dei vivi.* His enim verbis continetur omnis eius dignitas; omnis excellentia & perfectio habet originem ex hoc Titulo & Privilegio, quo nullum maius poteſt reperiri ſub cœlo. Quicquid ergò concipere valemus, quantumlibet ſublime & excelſum de Maria, quaslibet ei laudes decantaverimus, neceſſe eſt vt habeant fundamentum & radicem in hac excellentia, Throno divinitatis appropinquante: TV ES MATER FILII DEI VIVENTIS.

*Omnis dignitas B. Virginis eſt eſſe Matrem Filij Dei vivi.*

Sed quandonam oportuniùs ei hoc pronuntiare valemus, quam modò, in tempore ſcilicet glorioſæ Reſurrectionis Filij ſui? Antea viſa eſt juxta Crucem & iuxta Sepulchrum doloroſa & gemens, patiens & pariens, & compaſſione digna, tamquam *Mater Filij Dei morientis, vel iam mortui.* Nunc autem ei cum gaudio nuntiatur, *Filius tuus vivit. Quem meruiſti portare reſurrexit, Alleluya.* Sic modò ei competit ſpecialiſſimè, ſi vnquam, Titulus ille glorioſus, TV ES MATER FILII DEI VIVENTIS; quia Chriſtus reſurgens iam non moritur, mors illi vltrà non dominabitur. *Quòd enim mortuus eſt, peccato mortuus eſt ſemel; quòd autem vivit, vivit Deo.* Immò ei nunc & ille Titulus ſpecialiter convenit, qui præmaturè datus eſt Evæ à Protoparente noſtro, MATER VIVENTIVM. Illa enim Mater fuit Filiorum morientium; MARIA autem per Filium ſuum reddidit nobis vitam, & iterum generans nos, de Filijs mortis effecit FILIOS RESVRRECTIONIS, & Filios Dei viventis. Ideò congratulamur ei, & nobis, dum canimus: *Quem meruiſti portare reſurrexit, Alleluya.*

*Meruit Maternitatẽ Dei ſ congruo.*

Quòd autem hic aſſeritur, MARIAM meruiſſe portare Filium Dei, intelligendum eſt non Merito de

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

*to de condigno*, vt loquuntur Theologi, ſed *Merito de congruo*. Meruit autem id, voluntaria obſequij ſui munera ad Myſterium Incarnationis perficiendum offerendo, quando in Angelico colloquio dixit: *Ecce Ancilla Domini, fiat mihi ſecundũ verbum tuũ.* Tunc enim cum eximia fide, ſpe, & charitate, humilitas profundiſſima, & obedientia promptiſſima promicuit: quæ quidem omnes virtutes cum actibus ſuis diſpoſitio fuerunt, vt promereretur de congruo Maternitatem Dei, dignitatem ſcilicet illam, qua maior ſub Deo nequit intelligi, qua factum eſt, vt concipiens Filium Dei, affinitatem arctiſſimam & altiſſimam cum Deo contrahere.

Dicendum ergò, & ſæpè corde voceque repetendum eſt iſtud hoc ſacro tempore; Lætare, ô Regina Cœli, ô Mater Altiſſimi, quia *Reſurrexit* ille, quem ſacris Viſceribus novem menſibus portare meruiſti.

*Affectus Congratulationis ad B. V.*

1. *Lætare*, quia *Reſurrexit* ille, quem meruiſti portare cum gaudio in Templum Ieruſalem, & in manus Simeonis Senis, & Annæ Viduæ cum ALLELVYA publicè conſignare.

2. *Lætare*, quia *Reſurrexit* ille, quem in Infantia, tamquam Nutrix & Gerula, continuò portare meruiſti, & Vbere de Cœlo pleno lactare; & tamquam Tutrix eius curam gerere.

3. *Lætare*, quia *Reſurrexit* ille, quem meruiſti portare in Ægyptum, longo ſanè itinere, vt lucis æternæ ibi introducendæ primordia ſignaret, & ſecum adveheret; dum eum illuc ex Iudæa meruiſti introducere, & brachijs ac humeris maternis vectare.

4. *Lætare*, quia *Reſurrexit* ille, quem tot annis meruiſti portare per amorem in corde; & poſt extremum ſpiritum vlnis etiam maternis excipere, & de Cruce depoſitum amplecti, & in ſepulchrum inferre; ille, inquam, poſt tot acerba tormenta, & ipſius, & tua, *Reſurrexit*, numquam amplius moriturus.

5. *Lætare*, quia *Reſurrexit* Sol tuus & Lux tua, Gaudium tuum & Gloria tua, Vita & ſuprema Felicitas tua, vnicum Deſiderium cordis tui, ſummumque Bonum tuum.

6 *Lætare*, quia *Reſurrexit* tamquam Victor mortuus, peccati, & inferni; ſicque non ſolùm Tibi reſurrexit, ſed & nobis, & toti Orbi; ideoque tecum lætamur & cantamus, Alleluya; quia poſtquam *Mors & Vita duello conflixère mirando, Dux vitæ mortuus regnat vivus.* Ideò ergò & nos tibi coniubilamus.

7. *Lætare*, quia *Reſurrexit*, & omnes hoſtes ſuperavit, Phariſæorum invidiam, Iudæorum calumniam, infidelium cæcitatem & malitiam, & ideò totus cum eo mundus redivivus præfert lætitiam. Sic te ab omni mœrore abſolvit reſurgens, quando & nos ſecum reſuſcitavit; vt iam fores Mater lætitiæ pro te & filijs tuis, quia te anteà ſterilem in domo nunc habitare facit Matrem filiorum lætantem, *Leva ergò oculos tuos in circuitu, & vide, omnes iſti congregati ſunt, venerunt tibi, filij tui de longè venient, & filiæ tuæ de latere ſurgent, vt Tibi Alleluya decantent* cum lætitia & iubilatione. *Iſa. 60.*

8. *Lætare*, quia *Reſurrexit*, *& vicit Leo de tribu Iuda, Radix David*, & factus eſt Agnus, qui inventus eſt dignus aperire librum, & ſolvere ſeptem ſignacula eius, cui dant honorem, & qui in cœlo ſunt, & qui in terra, & qui ſub terra, & qui in mari, & qui in eo, vt dicitur in Apoc. Hic Radix tua eſt, & tamen de Radice tua eſt. Leo eſt rugiens, & tamen Agnus mitis eſt; Tu Leæna eius Mater generoſa; Tu Ovis, quæ peperiſti eum. En ipſe ſe ſuſcitavit, & reſurrexit, ſicut dixit.

---

## RESVRREXIT, SICVT DIXIT ALLELVYA.

SECT. IV.

*Varia de Reſurrectione Chriſti Teſtimonia ex veteri Teſtamento.*

1. RESurrectionem ſuam prædixit per Michæam Vatem, ſic alloquens Synagogam ſibi hoſtem, vel etiam mortem. *Ne læteris inimica mea ſuper me, quia cecidi conſurgam. Cùm ſedero in tenebris, Dominus lux mea. Iram Domini portabo, donec cauſam meam iudicet, educet me in lucem, videbo iuſtitiam eius.* Quaſi dicat: Poſtquam fuero in tenebris ſepulchri, educet me Pater in lucem reſurrectionis. Quia ego ſum Redemptor conſtitutus, ad tempus pro genere humano iram Patris portare debeo: ſed mox inferni & peccati Victor agnoſcar, & toto Orbe Pater clarificabit me, oſtendetque ſuam iuſtitiam, exaltando meam humiliationem. Ita fiet vt Synagoga fiat in prædam & conculcationem hoſtium. Reſurrexit ergò ſicut dixit ore prophetico multis retrò ſæculis. *Micha. 7.*

2. Reſurrectionem ſuam prædixit per Prophetam & Regem *Non derelinques animam in inferno, nec dabis ſanctum tuum videre corruptionem* Sic Filius alloquitur Patrẽ, ſecurus de ſua Reſurrectione, prædicens & lætitiam tunc oriundam. *Propter hoc lætatum eſt cor meum, & exultabit lingua mea.* Hæc eſt laus Dei, hoc eſt illud *Alleluya*, quod nobiſcum canit in Reſurrectione ſua. Nam S. Petrus Acto. 2. verſum dictum de Chriſto interpretatur, ex illo probans eius reſurrectionem à mortuis. In morte enim Chriſti anima ſeparata fuit à corpore, & deſcendit ad limbum, ſed non diu ibi manſit. Enumerant enim quidam tantùm triginta novem horas, vel quadraginta ab hora nona Feriæ ſextæ, quando emiſit ſpiritum, vſque ad diluculum diei Dominicæ, quando reſurrexit. Sic non permiſit Pater per corruptionem incinerari eius corpus, nec animam diu in morte detineri. Vndè & rurſus dicit per eundem Prophetam ſuum prædicens reſurrectionem: *Ego dormivi, & ſomnum cepi, & exurrexi, quia Dominus ſuſcepit me* De hoc igitur illi gaudium, & nobis, & tibi, ô Maria, quia reſurrexit ſicut dixit, Alleluya. Quapropter de Chriſto Mariam alloquente illud aliqui piè meditando intelligunt: *Exurge pſalteriũ & cythara, exurge gloria mea, exurgã diluculo.*

*Pſal. 15.* *Pſal. 15.* *Pſal. 3.*

3. Reſur.

*Oſea. 13.*

3. Reſurrectionem prædixit ſuam olim per os Prophetæ: ***Ero mors tua, ô Mors! ero morſus, ô inferne!*** Ipſe enim inter mortuos liber futurus hoc liberè dixit. Idemque eſt ac ſi Morti diceret inſultans: Efficiam per reſurrectionem meam, vt omnes iuſti tandem reſurgant numquam morituri, & omne regnum tuum extinguā, dum mortale hoc induet incorruptionem. Tunc, ô mors, abſorpta eris in victoria, *Morſus quoque ero tuus, ô Inferni!* Morſus quem voluiſti deglutire, ſed non poteris digerere; immò cogeris vomere, & ſimul quidquid cibi electi deglutiveras, animas ſcilicet iuſtorum, quas ventre tuo continebas. Sic nimirum ſæpè Dominus per Prophetarum eloquia ſuam prædixit reſurrectionem; ideò in Symbolo ſpecialiter dicitur, *Reſurrexit ſecundùm ſcripturas.*

*Teſtimoonia Reſurrectionis Chriſti ex nouo Teſtamēto. Luc. 21.*

4. Quod ſpectat ad novum Teſtamentum, *Reſurrexit*, ſicut dixit Matth. 12. vbi affert exemplum Ionæ Prophetæ: *Sicut Ionas fuit in ventre ceti tribus diebus & noctibus, ſic erit Filius hominis in corde terræ.* Ionas optavit in mare deijci, vt alij ſalvarentur; ſic Dominus ſe obtulit, vt eius morte ſalvaremur. Deglutivit Cetus Ionam, ſed non nocuit, nec devorare potuit, incolumem protinùs tertio die effudit in aridam: Sic & Mors ore hiante Chriſtum excepit, ſed mox reddidit glorioſum. Quare & hic *Alleluya* decantandum.

5. Vlteriùs *Reſurrexit* ſicut dixit Iudæis petentibus ſignum poteſtatis, quâ eiecerat vendentes in Templo, dum reſpondit: *Solvite Templū hoc, & in tribus diebus excitabo illud.* Hoc dicebat de templo corporis ſui, quod Iudaicâ impietate reſolutū, divinâ in triduo ſuſcitavit potentiâ. Vnde cum ſurrexiſſet à mortuis, recordati ſunt Diſcipuli, quia hæc dicebat, & crediderunt ſcripturæ & ſermoni quem dixit Ieſus, vt ait S. Ioannes.

*Luc. 18.*

6. Denique, *Reſurrexit*, ſicut dixit Diſcipulis, idque apertis verbis, ſine metaphora aut allegoria: *Ecce aſcendimus Ieroſolymam, & ecce Filius hominis tradetur, illudetur, flagellabitur, occidetur; & tertia die reſurget.* Quid clariùs? Et tamē nihil horum intellexerunt. Intellexerat probè Maria myſterium Paſſionis & Reſurrectionis, & conferebat in corde ſuo hæc quæ audiverat à Filio cum his quæ legerat apud Prophetas, & audiverat à Simeone: *Ecce poſitus eſt in Reſurrectionem multorum.* Vnde non vacillavit in fide reſurrectionis, nec cū mulieribus venit ad ſepulchrum, quaſi incerta de nuntio, aut incredula de oraculo, aut dubitans de Filij verbo: ſed in ſecreto conclavi cōfixa dolore paſſionis expectavit nuntium reſurrectionis, ſive per Archangelum Gabrielem, ſive per ipſummet Filium, quem ei primò apparuiſſe communis Eccleſiæ ſenſus eſt. Sic in ea adimpletur illud: *Ad veſperum demorabitur fletus, ad matutinum lætitia, &c.*

*Pſal. 29.*

*Reſurrectio Chriſti ſpeciale fuit gaudium B. Virg.*

Hoc ergo gaudium meritò rememoramus, quia gaudium non ſolum fuit vniverſæ terræ, ſed etiam quia fuit ſpeciale gaudium Matris Ieſu & Matris noſtræ Mariæ, vnde ei cum Angelis canimus, *Reſurrexit*, ô Maria, ***ſicut dixit, Alleluia.*** Quaſi diceremus: Sicut Maria ſoror Moyſis prima ſumpſit tympanum, & duxit chorum, cantavitque Domino glorioſè, quia Dominus mirè magnificatus eſt, *Equum & aſcenſorem deiiciens in mare*, & Moyſen ſuum fratrem per Virgam prodigijs inclytum fecit triumphare: Ita magis te decet ô Maria, primiceriam eſſe & præcentricē in triūpho Filij tui, qui per Crucis admirabilē Virgam de hoſtibus ſuis de noſtris triumphavit, eoſque in Sanguinis ſui mari demerſit ac Victor evaſit, Reſurrexitque ſicut dixit, Alleluya. Canta igitur Domino glorioſè, quia tuus eſt triumphus, Filij tui triumphus. Te canentem & gaudentem ſequetur chorus fæmineus. Te ſequetur Magdalena ac aliæ Evangelicæ mulieres, quibus dicitur *Ieſum quæritis Crucifixum, Surrexit non eſt hic*, quod idem eſt ac ſi diceretur, *Reſurrexit ſicut dixit, Alleluya.* Poſtmodū in choro & gaudio ſequentur Apoſtoli & Diſcipuli, quibus etiam dicitur, Reſurrexit ſicut dixit, Alleluya, *In Gallilæa eum videbitis ſicut dixit vobis.*

*Exod. 15.*

*Marc. 16.*

Nos quoque in Gallilæa, hoc eſt, in tranſmigratione huius vitæ eum ſperamus videre cum cantu & gaudio, ſi de eius Reſurrectione gaviſi fuerimus tempore huius vitæ, ſi nunc & eum prout decet laudaverimus, & glorificaverimus. Iucundum eſt audire quod hac de re ſcribit Tho. Cantip. *Multos, inquit, legimus in morte exultaſſe, & quaſi iam cæleſtem Patriam in iubilo præuenientes dulciter ceciniſſe. Exemplum audiamus. Quidam frater Ordinis Prædicatorum, vitæ ſanctæ, Lector in Brugenſi Flandriæ domo, graviter infirmatus eſt. At cùm morti appropinquaret, eſſetq; vultu lætiſſimo ſeruiens ei Frater cum lachrymis flagitavit, vt ſi quid conſolationis interiùs accepiſſet à Domino, dignaretur edicere. Cui ille præ gaudio ſilere non valēs, Verè ait, accepi, quia D. Ieſus morti meæ præſentialiter adfuturum promiſit.* Cui Frater: *Et ego conteſtor te per eumdem Dominū, vt mihi digito vel nutibus innuas, cùm eum videris præſentem.* Ipſe vero reſpondit *Libenter faciam ſi permiſerit Dominus. Die poſt tertiâ morbo ingraveſcente, tabula percuſſa eſt, & conuenerunt Frares, cōcurreruntq; in infirmariam præſtolantibus ergo & orantibus illis. Frater moriens digitum cum manu ad certum locum oſtendit, & circūfuſis oculis cum cantu leniſſimo dicere cæpit:* In Gallilæa Ieſum videbimus, ſicut dixit nobis, Alleluya. *Quo finito protinùs expirauit. Qui verò præſentes fuerūt, mihi cum gaudio & lachrymis retulerunt.*

*Thom. Cantip. l. 2. cap. 50. Apum.*

Non abſimile eſt quod in Martyrol. Franciſcano legitur de B. Electo, Confeſſore pijſſimo, qui vivebat anno 1365. Obiit autem iuvenis in Conventu Bremenſi in Teutonia. Cum morti proximus foret, Ieſum ſibi repræſentans non ſolùm reſurgentem, ſed etiam aſcendentem in cælum, & ſe illuc trahentem, cæpit illud Evangelij ſubmiſſè canere: *Aſcendo ad Patrem meum, & Patrē veſtrū, Deum meum, & Deum veſtrum.* Secundò iterū illud ipſum altiùs canendo repetijt. Et tertiò altiore

*Ioan. 20.*

adhuc voce & cantu repetens, feliliter expiravit, & obdormivit in Domino in præſentia Fratrum, qui ad hanc vocem accurrerant.

In eodem Martyrologio refertur de Beata Elizabetha ab Annunciatione, Abbatiſſa in Monaſterio S. Mariæ de Portu, quòd viginti annis continuo morbo afflicta ſemper repetebat illud: *Et enim illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua.* Morti verò iam proxima ſubiecit maximo pietatis ſenſu: *Ego dormiui, & ſomnum cepi, & exurrexi, quia Dominus ſuſcepit me.* His verbis ſanctiſſimè ſpiritum in manus Domini tradidit, æternùm cum eo victoria. Ecce omnes hi in Gallilæa, hoc eſt in transmigratione, Ieſum viderunt, ſicut dixit illis: & de Matris eius Mariæ gaudijs participes fuerunt, ab eiſque decantatur modò Æternum Alleluya. O vtinam eorum ſequamur veſtigia, vt eadem aſſequi valeamus gaudia? Hoc nobis impetra, ô cæli Regina!

*Martyro. Franciſc.*
*Pſal. 138.*
*Pſal. 3.*

---

SECT. V.

## ORA PRO NOBIS DEVM, ALLELUYA.

ORationes noſtræ ex ſe languidæ ſunt, timidæ, incertæ, & repentes & repentes, multisque imperfectionibus obnoxiæ, ideoque in illis parum ſpei collocandum eſt, quatenus procedunt à nobis: & tamen orare nos iubet Dominus, ſed vult orationem noſtram adiuvare per merita ſua, & imperfectionem illius ſupplere. Vnde dicit: *Si quid petieritis Patrē in nomine meo, dabit vobis* Propterea Eccleſia omnem ſuam orationem concludit, *Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum* Sed & ipſe Chriſtus ac Pater æternus vult Mariam honorari à nobis honore ſpeciali, eam obſecrando, vt quæ ſaluti noſtræ ſunt conducibilia & neceſſaria, nobis impetret ſuâ oratione & patrocinio, quia per manus eius vult ea nobis donare, vt tradunt Sancti Patres. Propterea nos ſic monet S. Bernardus: *Altius intueamini Fratres, quanto devotionis affectu Mariam à nobis voluerit honorari, qui totius boni plenitudinem poſuit in Maria, vt proinde ſi quid ſpei in nobis eſt, ſi quid gratiæ, ſi quid ſalutis, ab illa noverimus redundare.* Defluunt ergo per manus Mariæ ad nos dona cæleſtia, & per illam vult nos ea Filius petere, quia per illam decrevit dare. Qui per ipſam ad nos deſcendit, & in noſtram miſeriam venit, vult & nos per ipſam in ſuam venire gratiam. Sanctus Bernardus: *Per te acceſſum habemus ad Filium, ô benedicta inventrix gratiæ, genetrix vitæ, mater ſalutis, vt per te nos recipiat qui per te datus eſt nobis.* Hæc eſt paſſim doctrina Sanctorum. Hinc S. Germanus Patriarcha Conſtantinop. hom. de Zona & Faſciis Virg. ſic Deiparam alloquitur emphaticè:

*Ad elevandas preces noſtras invocanda eſt B. V.*
*Ioan. 4.*
*Serm. de Nat. Virgin.*
*Serm. 1. de Adventu.*

> *Nullus eſt qui ſaluus fiat niſi per te ô ſanctiſſima!*
>
> *Nullus qui liberetur à malis niſi per te ô puriſſima!*
>
> *Nullus eſt cui donum concedatur niſi per te, caſtiſſima!*
>
> *Nemo cuius divina miſereatur gratia niſi per te ô Virgo nobiliſſima!*

Quid luculentius pronuntiari poteſt pro honore Virginis, cui lippis & iniquis oculis adeò invident calumniatores noſtri hæretici, eius invocationem exterminare conantes, eiuſque cultum obſcurare? Sed fruſtrà contra lucem Lunæ noſtræ canes iſti latrant fruſtrà aves & filios lucis, hanc Lunam honorantes, & eius laudes decantantes, infeſtant hæ Noctuæ vlulantes. Fruſtrà (iterum repeto) Pallium laudis & honoris quo Sponſa iſta à Sponſo ſuo & conſodalibus exornata eſt, ei auferre conantur. Fruſtra flumen calumniatum ex ore ſuo emittunt, vt abſumant & abſorbeant laudem huius Mulieris Stellis coronatæ, toto Orbe reſonantem. Fruſtrà aperiunt in cælum os ſuum blaſphemum contra Deum, & eius ſacrum Tabernaculum contra Mariam & Chriſtum. Ringantur quantum voluerint; velint, nolint, audient ex ore Eccleſiæ, ex ore puerorum & plebis promiſcuæ illud: *Sancta Maria Mater Dei, ora pro nobis peccatoribus nunc & in hora mortis noſtræ.* Audient & illud Paſchalis noſtræ Antiphonæ ad Mariam directum:

*Fruſtra hæretici cultum & invocationem B. V. impugnant & impediunt.*

ORA PRO NOBIS DEUM ALLELUYA.

Hoc ex ſpiritus inſtinctu adiecit S. Gregorius, Pontifex ſapientiſſimus & pientiſſimus, adiecit, inquam, Harmoniæ Angelicæ cælitùs reſonanti, vt Deiparæ Mariæ populum ſuum afflictum pio affectu commendaret. Quod ex eo tempore eodem pietatis affectu Eccleſia non deſint repetere, & filijs ſuis vt idem faciant, commendare. Quaſi diceret cum S. Bernardo: *Totis medullis cordium, totis præcordiorum affectus, Mariam hanc veneremur, quia ſic eſt voluntas eius, qui totum voluit nos per Mariam.* Commendatur ergo nobis hic Mariæ pia invocatio, vt eius experiamur auxilium & patrocinium, quandoquidem apud Deum eſt potentiſſimum, erga nos promptiſſimum, erga omnes ad ſe recurrentes ampliſſimum & vniverſaliſſimum.

*Verſiculus hic à S. Gregorio adiectus.*

1. quidem apud Deum potentiſſimum eſt, quia ipſa Regina eſt, quæ apud Regē omnia poteſt impetrare, immò & Regis Mater eſt, qui nihil ei vult negare. Ipſi enim idem dicitur à Filio quod dictum eſt Berſabeæ à Salomone Rege: *Pete Mater mea, nō enim fas eſt vt avertam,* id eſt confundā, *faciem tuā* Ipſi Thronus à dextris Filij conſtituitur, vt eius potentia & auctoritas oſtendatur. Ipſi communicatur à Filio poteſtas in terra & in cælo, eiuſq; oratio & patrocinium fundatur non ſolùm in pura miſericordia Dei, ſed etiam in iuſtitia & quadam æquitate naturali, quâ tenetur Filius Matrem exaudire; & quidem talem Matrem, quæ nullum pro illo obſequium detrectavit, ſed omne amoris officiū ad extremum vſq; ſpiritum ſemper exhibuit. An non ergo æquum eſt & iuſtum, vt Filius idem præſtet Matri? An poterit eſſe repulſa, vbi tot

*Patrocinium B. V. apud Deum eſt potentiſſimum quia ipſa Regina.*
*3. Reg. 2.*

ſunt

ſunt charitatis obſequia? An non oratio Mariæ cuiuſdam imperij cenſetur orationem habere? Hoc vult illa ſententia: *Pete Mater mea, non eſt fas vt confundam faciem tuam.* Hinc non mireris, quòd quandoque Sancti Doctores orationem Matris Dei erga Filium dicant eſſe per modum iuſſionis: non enim aliud volunt quàm eſſe efficaciſſimam, tamquam in quodam iure naturali, iure materno fundatam. Quòd ſi Scriptura ſancta teſtatur Ioſue feciſſe ſtare Solē, *Deo obediente voci hominis*, quidni dicere poſſumus Filium Dèi audire & obedire etiā modò voci Matris; Sic loquitur S. Antonius, & alij Sancti: Audi & S. Petri Damiani. *Quomodo illa poteſtas tua potentiæ poterit obviare, quæ de carne tua ſuſcepit carnis originē? Accedit ante illud aureū humanæ reconciliationis altare, non ſolùm vt rogans ſed vt imperans, non vt ancilla, ſed vt Domina* Cum ergo Mariæ oratio & patrocinium apud Deum & apud Filium tam potens ſit, meritò hic ei canimus: *Ora pro nobis Deum, Alleluya.*

*Serm. de Nat. V.*

*Eſt promptiſſimū quia eſt Mater noſtra.*

2. Dicimus eius patrocinium erga nos eſſe promptiſſimum, quia Mater noſtra eſt, quæ nos ſummoperè diligit, & omni tempore omnique occaſione optat nobis benefacere, vult tamen interpellari noſtrâ oratione, vult nos filiali affectu ad ſe recurrere, Non deſerit, ſed vocem audit pullorum ſuorum gallina, & accurrit ad præſidium, ſub alas ſuas congregans, vt eos foveat & protegat. Sic agit & Maria, ſic, inquam, agit erga nos tamquam imbelles pullos & filios ſuos; noſtri ſemper ſollicita eſt, quia novit nos multis periculis & infirmitatibus obnoxios. Matrem ſe exhibet, ſi filios nos agnoſcimus Dicebat olim Abraham Saræ *Dic obſecro quod ſoror mea ſis, vt benè ſit mihi propter te, & vivat anima mea ob gratiam tui.* Nos dicamus Mariæ, Dic obſecro quòd Mater noſtra ſis, vt benè nobis ſit propter te, & vivant animæ noſtræ in gratiam tui, quia nihil non potes materno tuo affectu erga Filium & Patrem Æternum. Igitur impende nobis patrocinium, *Ora pro nobis Deum Alleluya*

*Gen. 12.*

*Eſt vniverſaliſſimum extendens ſe ad omnes.*

3: Dicimus ei patrocinium eſſe vniverſaliſſimum & ampliſſimum, quia nemo niſi ſuâ culpâ ab eo excluditur, & in omnibus cauſis præſto eſt nobis. Hinc SS. Patres eam vocant *Commune mundi Propitiatorium*, ad quod omnibus acceſſus patet, Certè verum eſt de ipſa multò magis quèm de antiquo Tabernaculo, quod dicit Dominus. *Ponam Tabernaculum in medio veſtri, & non abiiciet vos anima mea.* In hoc enim Tabernaculum ſacrum reſpiciens Dominus, propitiatur iniquitatibus noſtris, ſubvenit neceſſitatibus, ſanat infirmitates noſtras, redimit de interitu vitam noſtram, coronat nos in miſericordia & miſerationibus, replerque in bonis deſiderium noſtrum. Meritò ergo nunc inclamamus Mariæ cum fiducia impetrandi quælibet nobis neceſſaria è cælis dona: *Ora pro nobis Deum Alleluya.*

*Andreas Cretenſis & alii Levit. 26.*

*Tempore Paſchali maximè eſt invocanda B. Virgo.*

Maximè autem hoc tempore paſchali vota noſtra ad eam ſunt dirigenda, cum voce laudis & benedictionis: quia ſacrum hoc tempus, Regiæ victoriæ tempus eſt, in quo accedens Regina Maria ad Filium nihil non impetrat. Tempus eſt triumphale, in quo Regis Victoris liberalitate miſſilia dona effunduntur in populum Io triumphe canentem, & hoſtium Magno Domitori applaudentem.

Nunc carceres captiuis aperiuntur, compedes diſſoluuntur vinctis, & reis crimina condonantur. Compedes ſcilicet & vincula ſpiritualia his, qui ea agnoſcunt, & veniam ac miſericordiam implorant, paratus eſt Dominus hoc ſacrato Reſurrectionis tempore diſſoluere, in quo rememoramus, quomodò Victor ſepulchri & inferni clauſtra diſſoluerit, & vinctos eduxerit ſecum triumphantes: Ideò ei nunc canimus cum Zacharia Proph *Tu autem in ſanguine Teſtamenti eduxiſti vinctos de lacu, in quo non erat aqua* Eadem ergò benignitate & potentia nunc adimplet illud Pſaltis erga peccatores, tamquam captiuos, & mortuos, in ſepulchris horridis criminum ſuorum agentes: *Qui educit vinctos in fortitudine, ſimiliter eos, qui exaſperant, qui habitant in ſepulchris.* Hoc enim facit modò in gratiam ſui triumphi, ſuæque Reſurrectionis.

*cap. 9.*

*Pſal. 67.*

*Olim ob Feſtum Paſchatis rei libertate donati.*

Quapropter antiquitus in gratiam Dominicæ huius Reſurrectionis reos libertate donarunt Chriſtiani Imperatores. Vndè Anno Chriſti 186. Valentinianus Imp. de relaxandis tempore paſchali vinctis eiuſmodi generale propoſuit edictum reſcribens ad Lampadium Vrbis Præfectum: *Ob diem Paſcha, quem intimo corde celebramus, omnibus quos reatus aſtringit, carceri incluſit, vincula diſſoluimus Exequantur Iudices, quod indulgere conſueuimus. Vbi primùm dies Paſchalis extiterit, nullum teneat carcer incluſum, omnium vincula ſoluantur.* lib. 8. de indulg. crim. C. Theodoſius, & apud Baron. tom. 4. ann. Domini 386.

Eamdem indulgentiam reis dedit paſchali tempore ob diem feſtum Paſchæ (qui REX DIERVM apud antiquos appellatur) Theodoſius Imperator, vti teſtatur S. Chryſoſt. Oratione de Flauiano Epiſcopo, vbi ſic habet: *Flauianus Epiſcopus Antiochenus legatione fungens Conſtantinopoli coram Theodoſio Imperatore, pro populo Antiocheno ſub gladio iræ Principis periclitante, hæc ad eum: Recordare primùm quando ſolemnitate hac (nempè Paſchali) ſuperveniente, per totum Orbem terrarum epiſtolam miſiſti iubentem carcere detentos dimitti, & illis ignoſci crimina: & his humanitatem tuam demonſtrare non ſufficientibus per litteras dicebas: Vtinam mihi liceret & defunctos revocare, & reſuſcitare & ad priorem vitam reducere*

*Chriſtus D. in gratiam Reſurrectionis ſuæ peccata remittet maximè intercedente Matre ſua.*

Quòd ſi Imperatores hi Chriſtiani in gratiam Dominicæ Reſurrectionis crimina donarunt reis, & vincula diſſolverunt, carcereſque aperuerunt; quantò magis id faciet ipſe Chriſtus Dominus peccatorum mole conſtrictis, in gratiam Reſurrectionis ſuæ, maximè intercedente pro eis Matre ſua? Meritò ergò ei hoc tempore dicimus: *Ora pro nobis*

*bis Deum, Alleluya.* Quòd ſi & pius ille Imperator dicebat tanto affectu: *Vtinam mihi liceat non ſolùm reos abſoluere, ſed & mortuos ad vitam revocare.* Vtrumque certè poteſt Dominus, vtrumque optat hoc ſacro Reſurrectionis tempore peragere, Matre ſua interveniente; ſi modò mortui velint exurgere, ſi ſepulchrum & mortem deſerere velint, funereasque peccati inſtitas & faſcias relinquere. Vnicuique enim illorum vox illa modò validè inſonat & intonat:
Eph. 5. *Surge qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Chriſtus.* Quaſi diceret; Vſquequò adamas, ô homo, caliginem, ſepulchrum, mortem; cùm tibi lux offeratur & gratia, reſurrectionis libertas & vita? Offert eam Chriſtus, offert & Maria Chriſtipara, Mater Filij Dei viuentis, & Mater filiorum Adæ morientium; ſed verè Mater vitæ, eis vitam veram cupiens procurare, de hoc ſpecialiter ſollicita, vt ſit eis in veritate Eua, hoc eſt, *Mater viuentium.* Ergò rurſus ei meritò repetimus hîc: *Ora pro nobis Deum.*

Neque verò ſolùm felici hoc tempore reis compedes relaxantur, & crimina remittuntur; verùm eam in gratiam triumphi & reſurrectionis Domini obſequioſis ſeruis munera decernuntur, & gnauiter decertantibus trophæa, lauri, veſtes candidæ, palmæ ſtatuuntur, ab eo qui vicit mundum, & mortem, & infernum. Hic enim ille eſt, qui Apocalypſis primò deſcribitur victorioſo & triumphali habitu, facie rutilante inſtar Solis, capite cum capillis candicante inſtar niuis, pedibus ſcintillantibus inſtar ignis, veſtitus Podêre honoris, præcinctus zona aurea, gerens in dextera ſeptem Stellas lucidas. Atque vt à nobis agnoſcatur, S. Ioanni ſtatum
Apoc. 1. & qualitates ſuas edicit his ibidem verbis: *Ego ſum primus & nouiſſimus. & viuus, & fui mortuus. Et ecce ſum viuens in ſæcula ſæculorum, & habeo claues mortis & inferni.* Videſ-ne, quòd non ſine myſterio in tali habitu ſeſe Ioanni exhibet in die Dominica, quæ reſurrectioni eſt dedicata, quia in ea reſurrexit Dominus? Sed & poſtmodum ab eo promittuntur multiplicia dona certantibus & vincentibus, ac in Fide perſeuerantibus. His enim promittitur. LIGNVM VITÆ. CORONA VITÆ.

MANNA ABSCONDITVM, NOMEN NOVVM,
STELLA MATVTINA, SESSIO IN THRONO.

Hæc ſunt Paſchalia dona, ad quæ debemus adſpirare, quæ & nobis vult hoc tempore donare, intercedente Maria Matre ſua. Ideò illi meritò inclamamus: *Ora pro nobis Deum, Alleluya.* Quaſi diceremus: O Regina cœli, pro nobis interveni apud Filium tuum, Regem noſtrum, vt ſimus participes victoriæ eius, nouæque reſurrectionis & vitæ, ac tandem promiſſi præmij & coronæ. Hoc enim tu potes impetrare, ne dicam imperare, quia Mater es Victoris Satanæ, Triumphatoris totius Orbis, Domitoris Inferni & Mortis. Et ecce tempus opportunum omnia ſalutaria impetrandi, quo ipſum vt Reſurgentem & in cœlum Aſcendentem nobis repræſentamus, *Aſcendens enim in altum dedit dona hominibus.*

Quod verò generaliter hîc Mariæ dicitur, *Ora pro nobis Deum*, pro omni ſtatu & conditione, pro omni ſexu & ætate dicitur: quia omnes Mariæ ſentiunt juuamen, qui eius piè celebrant commemorationem.

Ora ergò ô Maria, ô cœli Regina, pro populo, & pro Eccleſia ſancta Dei toto Orbe diffuſa, vt ſtabili fide in diuini nominis confeſſione perſeueret; vt deſtructis adverſitatibus & erroribus vniuerſis, & depulſa nequitia eam infeſtante, ſecura Deo ſuo ſeruiat libertate, & colat ſincera pietate.

Ora, & interveni pro Clero, & pro Ordinibus vniuerſis, vt gratiam ei impetres & ſpiritum, quo totum corpus Eccleſiæ ſanctificatur & regitur; ſicque ab omnibus grauibus Filio tuo fideliter ſeruiatur; vt & hi qui alijs præſunt, ad vitam vnà cum grege ſibi credito perveniant ſempiternam.

Ora pro Regibus & Principibus, ac pro omnibus qui in ſublimitate ſunt, vt quietam & tranquillam vitam agant in omni pietate & caſtitate, & velociter *Deus pacis conterat Satanam ſub pedibus* eorum; Genteſque, quæ in ſua potentia & feritate confidunt, Filij tui dextera comprimantur, & humilientur.

Ora pro infidelibus & hæreticis à via vera aberrantibus, vt ad ſanctam Matrem ſuam Eccleſiam Catholicam & Apoſtolicam revocentur, & ſinu eius tuoque foueantur: hæreticaque prauitate depoſita, corda eorum reſipiſcant, & ad veritatis redeant vnitatem.

Ora pro infirmis & afflictis, quia tu es *Salus infirmorum, Conſolatrix afflictorum;* perveniant ad te preces de quacumque tribulatione clamantium, vt omnes ſibi in neceſſitatibus ſuis miſericordiam tuam gaudeant adfuiſſe. Ac præſertim pro agonizantibus ora, qui tibi vel ore vel corde inclamant, noſque pro ipſis: *Maria Mater gratiæ, Mater miſericordiæ, tu nos ab hoſte protege, & horâ mortis ſuſcipe.*

Ora pro omnibus flagellis avertendis, quæ vindex Filij tui manus nobis minatur. Precibus tuis peſtem depellere, morbos elimina, aufer bella, famem & ſterilitatem remoue, indulgentiam peccatorum impetra, conſolationemque vitæ, converſationem piam gubernationem perpetuam, perſeuerantiam in bonis operibus, gaudium cum pace; quandoquidem tu ſis *Commune mundi Propitiatorium, & Auxilium Chriſtianorum.* Sicque effice, vt lætitiæ tuæ participes ſimus, hîc per bonam conſcientiam in terris, ac tandem per æternam gloriam in cœlis.

(***)

CON-

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

# CONCLVSIO.

*Amplificatio Verſus illius,*

*Ora pro nobis Sancta Dei Genitrix,*
*Vt digni efficiamur promiſſionibus Chriſti.*

CVm S. Clemens diſcipulus B. Petri, à Traiano relegatus fuiſſet in ſolitudinem Vrbis Cherſonæ trans mare Ponticum, invenit ibi duo millia Chriſtianorum, ab eodem Traiano condemnatorum, in eruendis & ſecandis marmoribus laborantium. Hi agnoſcentes ſanctitatem Clementis, omnes vna voce dixerunt: *Ora pro nobis Sancte Clemens, vt digni efficiamur promiſſionibus Chriſti* At ipſe humiliter reſpondit: *Non meis meritis ad vos me miſit Dominus, veſtris coronis participem fieri* Ita habet Breviarium Romanum, 23. Nouembris. Dicamus nos Mariæ Matri Beatiſſimæ: Ad te nos miſit Filius tuus, vt tuis meritis digni efficiamur eius promiſſionibus, & participes tuis efficiamur coronis *Ora igitur pro nobis Sancta Dei Genitrix, vt digni efficiamur promiſſionibus Chriſti.* Hæc verba ſæpè repetit Eccleſia, alludens ad illa Chriſtianorum verba ad S. Clementem piè olim directa. Sed quę ſunt illę Chriſti promiſſiones? Certè multas habemus à Chriſto promiſſiones in nouo Teſtamento, de quo dicit Apoſtolus ad Heb. 8. *quòd melioribus ſancitum ſit repromiſſionibus, quàm antiquum* quia ſcilicet antiquæ promiſſiones erant terrenæ & temporales: noſtræ autem ſunt cœleſtes & æternæ. Antiquis non fiebat mentio regni cœlorum, ſed tantum terræ fluentis lacte & melle, quæ etiam dicta eſt *Terra promiſſionis*: in nouo autem Teſtamento clarè à Chriſto promittitur & annuntiatur *Regnum Cœlorum* omnibus; annuntiatur quoque, & crebrò promittitur *Vita æterna*, ſub conditione tamen & pacto reciproco, ſi eius ſeruemus mandata, monita, conſilia; ſi certamen fidei certauerimus, ſi fidem ſeruauerimus, ſi curſum nobis præſcriptum in ſtadio huius viæ ac vitæ mortalis conſummauerimus: *Peracto curſu, reſtat corona*, dicebat moriens & expirans S. Hieron. Hac ratione ergò dignos nos efficimus promiſſis Chriſti, ſi fecerimus, quæ viciſſim expoſcit à nobis. Ipſe nulli debens, ex benignitate ſua dignatus eſt ſe nobis facere debitorem, ſed præexigit opus noſtrum ante ſolutionem: *Qui creauit te ſine te, non ſaluabit te ſine te.*

*Promiſſiones Chriſti in nouo Teſtam. varia,*

Cæterùm, cùm varia ſint Chriſti promiſſa hanc & alteram vitam concernentia, ſæpiùs illa à nobis rememoranda ſunt, ruminanda, recolenda; vt fidem in nobis excitent, ſpem erigant, charitatem augeant, exſtimulent pietatem, de qua dixit Apoſtolus: *Exerce te ad pietatem, Pietas ad omnia vtilis eſt, promiſſionem habens vitæ pariter præſentis & futuræ.* Ipſe ad acuenda & eleuanda deſideria noſtra in ſublime ad aſſequendam Chriſtianam perfectionem, in monte docens Mat. 5. multa nobis fecit promiſſa conſideratione digna. Ipſe enim promiſit pauperibus Regnum; ſæculum contemnentibus promiſit Cœlum; humilibus ſpiritu promiſit ſolium; mitibus autem & manſuetis promiſit hæreditatem in terra viuentium; lugentibus verò ſolatium; eſurientibus quoque & ſitientibus iuſtitiam, promiſit ſaturitatem, hoc eſt, gratiam ſuam vehementer deſiderantibus promiſit deſiderij ſui complementum: *Ora pro nobis Sancta Dei Genitrix, vt digni efficiamur his promiſſionibus Chriſti Filij tui.*

1. Tim. 4.

Vlteriùs in eodem monte docens, promiſit his, qui miſericordes ſunt erga egenos, vel afflictos, ſuam ipſe miſericordiam: Promiſitque pacificis filiationem diuinam; nec-non & mundis corde diuinæ faciei viſionem: denique patientibus propter iuſtitiam perſecutionem, promiſit diſertis verbis regnum cœlorum, & in cœlis copioſam remunerationem & mercedem. O pręclara & ſublimia hæc Chriſti promiſſa, numquam evacuanda, niſi indignè illis nos geſſerimus! Sed tu, *Sancta Dei Genitrix ora pro nobis, vt digni efficiamur promiſſionibus hæ Filij tui* Impetra nobis tolerantiam propter iuſtitiam. Impetra cor mundum, cor pacificum, cor miſericors. Impetra deſiderium ardens gratiæ diuinæ & zelum cum pio luctu, manſuetudinemque cum humilitate & ſpiritus paupertate: tunc non ambigemus nos per te dignos affici promiſſionibus Chriſti: quæ numquam poſſunt excidere, niſi eius monitis rebelles inveniamur, & efficiamur indigni per nos ipſos.

*Ad eas conſequendas multum valet Oratio B. Virginis.*

Denique, tota eius doctrina in Evangelio promiſſionibus plena eſt, ad noſtram conſolationem, & profectum ſpiritualem. Nónne ipſe promiſit ad ſe revertentibus miſericordiam, pœnitentibus veniam, confitentibus gratiam, ſe invocantibus propitiationem & exauditionem? Nónne promiſit laborantibus, laſſis, & oneratis ad ſe venientibus, exonerationem, ſubleuamen, refrigerium, & refectionem? *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſt, & ego reficiam vos.* Quid ſuauius? Nónne promiſit baptizatis & credentibus ſalutem? *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſaluus erit* Quid facilius & optabilius? Nónne promiſit carnem ſuam manducantibus, vitam & manſionem in ſe: *Qui manducat me, viuet propter me In me manet, & ego in eo.* Quid amabilius? Nónne ſequentibus ſe promittit lucem, & tenebrarum omniū diſcuſſionem? *Qui ſequitur me, non ambulat in tenebris, ſed habebit lucem vitæ.* Quid clarius & lucidius? Nónne promiſit nobis ſuam vſque in æuum protectionnm & præſentiam? *Ego vobiſcum ſum vſq; ad conſummationem ſæculi.* En dilectio vſq; in finem. Quid ampliùs deſiderare poſſumus? Meritò ergò dixit Sanctus Petrus loquens de Patre mittente Filium: *Per quem maxima & pretioſa nobis promiſſa donauit, vt*

Matt. 11.

Marci 16.

*per hæc efficiamini diuinæ conſortes naturæ.* Tu igitur ora pro nobis S. Dei Genitrix, vt digni efficiamur his maximis & pretioſis promiſſis; & adiuua vt tandem aſſequamur *quod oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit, quod promiſit Deus diligentibus ſe.*

---

# OPVSCVLVM IV.

## DE SANCTIS TEMPORE PESTIS SPECIALITER INVOCANDIS,

### *EX HISTORIIS SACRIS, ET ECCLESIASTICIS.*

AMice & Candide Lector, prodierunt hiſce præteritis annis ſæuiente peſtilentia multa à multis ſuggeſta remedia ſpiritualia: Inter cætera prælo datæ ſunt Tornaci, Athi, Leodij, Montibus, Pariſijs, & alibi, Litaniæ breues ſic inſcriptæ: *Litania miſſa per Leonem Papam Tertium, ad Carolum Magnum, qui ab eo petierat remedium contra peſtem. Sanctus autem Pater ordinauit, vt geſtarentur hæc Sancta nomina: Ieſu Redemptor. Miſerere nobis. S, Maria, ora pro nobis. S. Anna, ora &c. S. Adriane, ora &c. S. Syluester, ora &c S. Martine, ora &c. S. Nicolae, ora &c. S. Antoni, ora &c, S. Bernarde, ora &c. S. Gerundi, ora &c. S. Roche, ora &c.* Hæc nomina Sanctorum pia ſunt, & hi Sancti piè invocantur, niſi quòd nomen S. Gerundij hactenus non invenerim in Catalogo Sanctorum, ſive apud Surium, ſive apud alios, & cùm multos Viros eruditiſſimos de illo interrogarim, omnes illum ignorant, nec ſciunt in qua Prouincia Orbis colatur, aut eius reliquiæ ſint; vnde mihi hactenus manet Nomen illud ſuſpectum. Sed etſi ponamus verè nomen Sancti eſſe; tamen titulus harum Litaniarum omninò apocryphus eſt. Quis enim ignorat S. Bernardum aliquot ſæculis poſteriorem eſſe Carolo Magno? Vndè ergo Pontifex Leo eius nomen geſtare vellet & invocare Carolum? Sic & S. Rochus manifeſtè pluribus adhuc ſæculis poſterior eſt. Vndè miratus ſum talia imprimi, & diſtrahi, & perſuaderi ſimplicioribus. Quocirca ex hac occaſione ſelegi ex ſacris Hiſtorijs & Eccleſiaſticis nonnullos ſpeciales Sanctos, qui tempore peſtis invocari poſſunt, & auxilio eſſe ſolent populis afflictis.

(*‸*)

CAPVT I.

PRimò ad Sanctum Sanctorum, IESVM CHRISTVM Crucifixum, oculi corporis & cordis convertendi ſunt. Olim Iſraëlitæ veneno & contagio Serpentum ignitorum in ſolitudine infecti venerunt ad Moyſen, & dixerunt: *Peccauimus, quia locuti ſumus contra Dominum, & te; ora vt tollat à nobis ſerpentes.* Orauit Moyſes pro populo, & locutus eſt Dominus ad eum: *Fac Serpentem æneum, & pone eum pro ſigno; qui percuſſus aſpexerit, viuet.* Fecit Moyſes, & ſanabantur percuſſi aſpicientes in ſerpentem exaltatum, & poſitum pro ſigno. Præclara ſanè figura eorum, quæ poſteà per Chriſtum gerenda erant. *De Invocatione Domini Ieſu Chriſti. Num. 21.*

Chriſtus Dominus, tamquam Serpens venenatus, hoc eſt, tamquam Homo noxius & ſerpentinus, in lignum Crucis erectus eſt ab impijs. Sed Deus poſuit eum pro ſigno. Quapropter qui eum cum fide & pietate inſpexerit, ſanitatem mox conſequi poteſt, tam à veneno inficiente corpus, quam animam. Quare ipſe Chriſtus typum Serpentis ænei in ſe complendum pronunciat. *Sicut Moyſes exaltauit Serpentem in deſerto, ita exaltari oportet Filium hominis, vt omnis qui credit in ipſum non pereat, ſed habeat vitam æternam.* *Ioan. 3.*

Et hoc porrò notabile eſt, & admiratione dignum, quòd cum caſtra Hebræorum centenis millibus conſtantia ad multa ſeſe diffunderent milliaria; *Serpens* tamen ille ita à Moyſe exaltatus fuerit, vt ab omnibus circumſpici poſſet. Quod etiam ſignificabat Chriſtum ita pro omnibus exaltatum, vt nemo ſit qui eum cum pietate & fide intueri non poſſit, & ſanitatem ab eo percipere. Aſpiciamus ergò in ipſum plena cordis converſione & contritione, dum virus ſerpit contagionis: nec fruſtraneus erit hic aſpectus, ſed ipſe nos quoque viciſſim adſpiciet tota cordis ſui compaſſione, & miſerebitur noſtri, protectionemque impendet & tutelam, ſanitatem impertietur & medelam. Aſpiciamus in eum, qui in Cruce reputatus eſt vt leproſus, contagioſus, plagatus, vt plagam triſtem & fœtidam à nobis propulſare dignetur. Certè devotio ad Crucem & Crucifixum multum hîc habet efficaciæ, vt preces noſtræ & lachrymæ in afflictione exaudiantur.

Sæpè apparuiſſe legimus cœleſti prodigio Cruces quaſdam ſanguinolentas in virorum ac mulierum veſtibus, quæ videbantur præſignificare peſtem ſæuiſſimam ſubſecuturam. Atque his ſignis prodigioſis monebat Deus homines, vt ſe corrigerent, ac imminentem eius iram averterent, ſeſe convertendo ad ſacratam eius Crucem pia cum fide; & ad IESVM Crucifixum, cuius Sanguine præſidium invenirent & remedium. *Sanguinolentæ cruces ſæpius peſtis ſecuturæ indicia & cur.*

Audi hac de re memorandas Hiſtorias ex multis

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN